



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Capvt VIII. De Restavratione Philosophiae Democrito-Epicvreae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129

CAPVT VIII.

DE RESTAVRATIONE PHILOSOPHIAE

DEMOCRITO-EPICVREAE.

§. I.

Philosophiae Democriti atque Epicuri, et imprimis quo ea tota niti-
tur systematis atomistici reuocandi ex puluere, in quo abiectum
et neglectum iacuerat, ea ipsa occasio extitit, quae Ionicam et
Parmenideam philosophiam resuscitauit, nempe physicae Peripateticae
contemptus. Cum enim secundum Aristotelem de rebus naturalibus pa-
rum feliciter se diserere posse viri acuti doctique cernerent, eo quod prin-
cipia incerta, vaga, obscura, et praecisione mentis tantum precario ex-
cogitata naturalium rerum adyta referare non posse crederent, de huius-
modi principii cogitantes, quae in ipsa rerum natura existerent, et quibus
velut primis rerum omnium initiis ad conditarum rerum indolem perno-
scendam aditus pararetur, tandem ad atomos Democriti peruenerunt.
Quas cum physiologiae fundamenti loco substernerent, reliquas quoque
philosophiae partes, quae cum naturali cohaerent, quasque Epicurus ex-
coluerat, eo filo aggressi sunt. Et hoc quidem pelagus, mature seculo
XVII tentauit DANIEL SENNERTVS, qui inter Germanos in naturali
philosophia primus desipere coepit. Is enim singulari capite in *Hypomne-
matis physicis*^a de atomis et mistione differens systema atomisticum in
scholam suam recepit, eo quod illud antiquissimam doctrinam sistere cre-
debat, et Mocho^b Phoenicio tribuendum esse putabat, qui ante Troiae
excidium floruerit, communem autem fuisse omnium philosophorum ante
Aristotelem sententiam, ex ipso ARISTOTELE^c patere contendebat,
quem primum ab hac sententia recessisse dicebat, statuentem, corpora illa
minima non solum in mistione vniri, sed et per mutuam actionem et pas-
sionem inter se ita alterari et affici, vt definant esse id, quod ante mistio-
nem erant. Hinc licet non ignoraret, doctrinam de atomis et corporibus
indiuisibilibus satis odiose vulgo proponi, tamen si recte explicetur, absur-
dam non esse pronunciauit, rationesque, quae pro hac sententia afferun-
tur, tales esse, quae cogant et vrgeant, et quae haud facile solui possint,
agnouit. Fatendum tamen, confudisse Sennertum atomos Democriti
cum corpusculis minimis, quas physici veteres adhibuerunt, cum sufficere
putaret, si statuantur *σώματα ἀδιάσπιστα*, eo quod in natura in resolutione
vltra ea ad minora progressus non fiat, et contra, quia ab iis corpora natu-
ralia suum exordium habent, licet longe a Democriti mente in iis defini-
endis

*Occasio resu-
scitatae phi-
losophiae De-
mocrito-E-
picureae.*

a) Hypomnem. III. c. 1. p. 86. seqq.

b) Male in editione anni 1636. legitur, Mo-

nacho cuiusdam Phoenicio.

c) De Gener. et cor-

rupt. L. VIII.

endis abeat, singulis elementis propria minima physica huius generis vindicans. Vnde atomi vox apud eum non sensu speciali, sed generali, quo corpuscula in natura minima denotat, sumenda est, secundum quem simplicia quaedam corpora sui generis sunt, ex quibus composita generantur, quae valde ab atomis Democriti et Epicuri differunt.

Io Chryso-
stomus Magne-
nii.

§. II. Occasionem hoc dedit IOANNI CHRYSOSTOMO MAGNE-
NO philosophiam Democriti, a nemine hactenus explicatam in scenam reuocandi, et nouam de naturalibus rebus philosophiam explicandi. De quo philosopho, quid dicamus, non habemus, nisi quod ipse innuit, fuisse Burgundo Luxouensem Patricium, philosophum, medicum, et in vniuersitate Ticinensi regium medicinae professorem, in emeritorum vero subsellia euectum, honorario fuisse auctum. Cuius quoque viri docti memoria in historia medicinae literaria haud obscura est. Commendantur enim a medicorum filii eius exercitationes, *de Manna Calabrina*, et *de Tabaco*, in quibus praeter eius historiam virtutes et vitia vsus et abusus ostenditur^d, quae iunctim apud Batauos^e prodierunt. Tribuit ei quoque librum *de Atomis et particulis* MORHOEIVS^f, qui tamen a libro citando diuersus haud est. Is itaque, quem diximus, cum derelictam crederet doctrinam atomisticam, (quae enim circa id tempus de restituenda philosophia Epicuri scripserat Petrus Gassendus, ignorauisse videtur) *primogenitam inter omnes sapientum sectas atomorum philosophiam restituere designauit, eiusque opinionis famam mille calumniis obsoletam vindicare constituit.* Quod tamen non eo fine se facere ait, *vt alius secum e philosophis cathedram ascendat regiam, praeterquam Aristoteles, eo quod in publicis praelectionibus iuuentutis institutioni non autem genio nouitatis sit indulgendum: sed se id suscepisse, dicit veritatis desiderio ingenique exercendi causa, praesertim cum in philosophicis nulla possit esse praescriptio, et ob hanc rationem non abs re fore duxisse, in integrum restituere sententias, quae primo viguerunt.* Et hunc vt scopum obtineret edidit: *Democritum reuiuiscentem, sive de vita et philosophia Democriti Ticini anno 1606* XLVI, quem postea librum Bataui iterata editione recusum dederunt^g, quem tamen rariorem fecit vel neglectus libri, cum Gassendiana longe praestantiora et luculentiora suppeterent, vel paucitas eorum, qui his literis librisque delectantur. Illi prolegomena praemisit, in quibus quae de Democriti vita, scriptis, laudibus, doctrina, et inuentionibus apud veteres dispersa passim extant diligenter, iudicio suo interdum interposito collegit, de quo eius labore cum *Tomo primo*^h iam dixerimus, ea repetere hoc loco otiose nolumus. In ipsa vero tractatione de atomis secundum Democriti mentem, id imprimis sibi inuestigandum statuit, ex quo omnium in rebus naturalibus explicandis difficultatum fontem repetendum

d) Vid. MERCLIN. Linden. renou. p. 554.

Морноф. Polyhist. T. II. L. II. P. II. c. 27. p. 395.

e) Post Papiensem editionem lucem viderunt
Hægae Comit. 1658. Amstelod. 1669. 12.

f) L. c. c. 3. p. 284.

g) Lugd. Bat. 1648. Hæg. Com. 1658. 12.

h) p. 1175.

tendum esse credebat, vt in materiae primae originem inquireret. Naturam enim materiae sequi et formam et accidentia obseruabat, idque imprimis in Peripateticis desiderabat, quod ineptam materiae considerationem instituisent. Telam itaque exorsus, eamque methodo mathematica per-texturus, ad tria potissimum capita disputationem reuocauit, ostensurus primo iuxta Democritum, nullam dari materiam primam, diuersam ab elementis; secundo atomos eam constituere, et haec, tertio frustra objectionibus eneruari. Quae vt necessaria demonstrationis catena firmet, praemissis definitionibus verbalibus et realibus, his principiis totum demonstrationis suae aedificium instruit ^l:

I. Ex nihilo nihil fit, hoc est, agentia naturalia exigunt subiectum vt agant, et materiam circa quam versentur.

II. Mundus destrui non potest, per causas naturales, vi propria et naturaliter applicatas, secus, si virtute diuina applicentur passio.

III. Agentium naturalium actio iuuatur ab extensione, dummodo sit ea absque dispersione virtutis: pariter et resistentia passio iuuatur ab extensione, virtuti suae actiuae proportionata.

IV. Sublata parte essentiali, perit totum, siue pars illa se habeat ex parte materiae, efficientis, formae finisue; nihil enim absque hisce causis esse potest in natura.

V. Quinque sunt mundi partes principes et essentielles, terra, aqua, aer, ignis, se habentes ex parte materiae, et coelum formae.

VI. Vbi contrarietas datur inter agens et passum, ibi necessario est alteratio successiua, praecedens passio destructionem substantialem.

VII. Natura semper intendit, quod perfectissimum est.

VIII. Non potest introduci forma sine praeuiis dispositionibus, et vbi sunt dispositiones omnes, ibi est forma.

IX. Causa principalis debet continere effectum suum vel formaliter vel eminenter.

X. Idem est finis actionum et essentiae, nam esse est propter operari.

XI. In iis, quae sub sensum cadunt, posita experientia, oportet philosophari, sensibilia enim per sensus iudicanda sunt.

XII. Existentia rei dignosci potest a tribus: primo ex causae necessariae, aut effectus necessarii existentia, secundo ex proportionem et reciprocationem actionum, et connexionem cum alio externo, existente: rerum enim non existentium nulla est actio. Tertio cum est ad totius vniuersi bonum.

XIII. Magis et minus non faciunt differre essentialiter.

His principiis, vel potius, axiomatibus totam quam in sequentibus exhibet demonstrationis seriem innectit, probaturus ^k, elementa esse pri-

imum

i) pag. 54 seqq.

k) pag. 60.

mum vniuscuiusque corporibus subiectum siue materiam, eo quod attributa habeant, subiecto primo conuenientia: esse autem elementa, ait ^l, seminarium primum atomorum simpliciter figuratarum et vnigenarum, secundum quarum variationem et vnitionem diuersam mixta quaeuis generantur, et in quae omnia vltimo resoluuntur. Hoc elementum, contendit ^m non componi ex materia et forma, eo quod ingenerabile sit et incorruptibile. Esse autem, monet ⁿ, in quouis elemento tria primario consideranda, primo molem substantialem corpoream, secundo, qualitatem primam, tertio appetentiam mixtionis. Secundario autem elementa contemplanda esse, vt partes vniuersi et vt mobilia localiter. Vnde patet quoque, Magnenum qualitates atomis tribuisse, quam veram quoque mentem Democriti fuisse putat, repudiata Lucretii explicatione, quem in Empedoclis castra transiisse contendit. Numerum autem quatuor elementorum oppugnat ^o, et tria tantum ponit ^p, excluso aëre, quem magno nisu ex elementorum numero eiicit, eo quod careat qualitatibus primis, iisque rationibus essentialibus, quae elementis necessario insunt, sed aërem organum vel machinam omnium, per quam omnia fiunt esse affirmat ^q, et sic terram, aquam, ignem tantum inter elementa relinquit. Primas autem qualitates caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, alias, quam Aristoteles exhibet, et tactiles eas esse definit ^r, quibus corpora vel vniuntur, vel disiunguntur et vincula modificantur, vt facilius difficiliusue coeant. Et hac ratione materialis principio corporum explicato et ab obiectionibus vindicato compositionem rerum ex atomis explicat, ostendendo ^s continuum non constare ex punctis mathematicis, nec ex partibus et punctis simul; sed componi omnia constareque ex atomis siue corpusculis finitis numero adaequate inter se distinctis, certae et determinatae areae. Atomum autem dicit ^t esse materialis physicaeque extensionis radicem et initium, eas autem ponit vel substantiales, vel igneas, vel aqueas, vel terreas, vel aëreas, vel viuentium. His proprietates tribuit ^u communes mobilitatem, sympathiam, quantitatem; singulis autem suam inesse dicit qualitatem, figuram, ordinem, qui spectat ad intentionem, quae secundum singula atomorum genera iuse explicat, et qualis figura, sit atomorum ignearum, terrearum, aquearum, aërearum, describit. Mixtionem et dissolutionem atomorum autem ita delineat, vt supposito, quod toti negotio praefideret, principio sempiterno, primam dicat concretionem factam esse, exterioris mundi partis, siue inuolucris omnium, quae in inanis immensitate coaluere ex atomis, id est coeli extimi, et tum atomos in aëre conclusas affirmat ^v variis cieri motibus tum localibus, tum etiam ad figuram, cumque includerentur vastissimo illo carcere, seque mutuo quaeritarent ad generationes, in centro mundi euitata circumferentiae vastitate, sibi inuicem consensisse, et primum solem coaluisse: hocque adminiculo influente vertiginem ipsam coeli foli-

l) p. 87.
r) p. 122.

m) p. 88.
s) p. 174.

n) p. 91.
t) p. 189.

o) p. 96.
u) p. 93.

p) p. 110.
v) p. 272.

q) p. 111.

solidiorem factam ceterosque planetas efformatos esse, et tum stellas fixas, illos a centro mundi ad sphaeras suas delatos, has in orbis centro circumnatas. Factis, porro ait, sideribus, veluti vniuerso mundi seminario, ceteram atomorum multitudinem crassa Minerua inuicem permixtam in centro orbis remansisse, vt generationibus animalium subseruiret, hinc terrae globum aqua et terra coaluisse. Incertus tamen et parum fidens huic rerum γενέσεις, alium quoque modum explicat ^u, quo ex atomis primigeniis compactae sunt atomi secundae, seu minima naturalia, quae amicitiae et inimicitiae stimulis sese quaeritanti in medio aëre velut commisso praefolio solaria corpuscula solaribus, lunaria lunaribus conuenerint, cunctisque in suum locum delatis superiorum cum inferioribus consensio extiterit. Quam tamen esse Anaxagorae ὁμοιομερίαν ipse agnouit, a Democriti atomis diuersissimam. Vnde incertus quid de mundi fabrica exactius statuendum sit, ampliorem quaestionis tractationem praetermittit, et modum agendi atomorum triplicem commemorat ^v, primum, per intrusionem sui in poros, secundum per propagationem qualitatis in spatio libero, tertium per inhibitionem qualitatis contrariae. Quo pacto vt mixtio atomorum efficiatur, tria requiri statuit ^w, materiam, atomos sc. aqueas, terreas, igneas, instrumenta, quae sunt qualitates primae atomorum, et siderum influxus, et tandem formam nondum existentem, afflatum intentionalem, idealem directiuumque operis. Opus enim naturae, opus esse intelligentiae, supponit magis, quam ex mente Democriti probat, licet ad ARISTOTELEM alibi ^x prouocet, Democrito principium aliquod sempiternum et indemonstrabile tribuentem ^y. Istis vero mixtionum generibus suppositis gradus quoque earum explicat, prout ad perfectiora seriatim positae atomi ordinantur, hoc potissimum axiomate vsus ^z, quo perfectior est forma, eo elaboratiores eam admittere dispositiones, quas ad temperiem, synthefin, spiritum calidum et humidum radicale reuocat. Et simili modo dissolutionem mixti ex principiis Democriti sibi explicandam sumit ^a, aduocatis formis admissionalibus et subductoribus, supposita regula, omnia reuocare se ad natium statum, quantum quidem possunt, quare si illum deperdant, vi extrinsecus adhibitae tribuendum esse. Inde enim concludit: statim ac extrinsecum quidpiam in mixti penetralibus refunditur, et ad formae partiumque sibi vnitarum exigentiam figuratas atomos proritat, eas auxiliariis illis copiis motas, contempto formae imperio nativae primaeuaeque libertatis cupidas figuram recuperare primam, quae cum sit sphaerica et vnionis cum cubo incapax, statim eas exilire, et cum sint valde mobiles, erumpere ex vinculis, hincque dissolutionem continuatis huiuscemodi defectionibus consequi. Et ex his quidem demonstrationibus non naturalium tantum operationum, sed et praeternaturalium causas explicare aggreditur, quae tamen enarrare huius loci non est.

S s s 2

His

u) p. 277.
 z) p. 292.

v) p. 278.
 *) p. 298.

w) p. 284.

x) p. 272.

y) De Gener. L. II. c. 4.

His responſiones ad obiectiones ſubiungit, et imprimis mathematicorum illationes reiicit, monens †, actiones phyſicas non eſſe expendendas regulis geometricis, quas dum explicat, praecipua tangit, quae ad rerum menſurabilium theoriam pertinent. Diſputatione tertia autem motum localem, rarefactionem et alterationem, itemque colores iuxta Democritum explicare nititur. Quibus quasdam definitiones et principia, ſive axiomata praemittit*, v.g. Motum localem eſſe actum entis in potentia, prout in potentia, in ordine ad locum vel ſpatium. Omne agens debere continere effectum ſuum vel formaliter vel eminenter: non dari vacuum in rerum natura, totum hoc vniuerſum a Deo creatum eſſe plenum, eaque inſtructum quantitate, quae toti ſingulisque partibus ſufficit: dari colores reales non autem apparentes tantum. Negat^a autem ſucceſſionem perfectam, quia alioqui motus eſſet diuiſibilis in infinitum. Et ex his concludit^b: non dari grauitatem neque leuitatem ſtrictè ſic dictam; motum localem eſſe entitatem permanentem, totam ſimul in natura, et ſucceſſiuam in connotatione, cuius cauſſa productrix ſit ſolus impetus. Omnem porro^c rarefactionem improprie dictam eſſe, fierique per intruſionem atomorum, condenſationem per extruſionem, quoniam non detur vacuum. Potiſſimam corporum alterationem^d fieri per meatus ſenſibiles, intenſionem per ordinem et poſitionem multiplicem atomorum, remiſſionem per ſolutionem ordinis. Vbi tamen obſtare ſibi vidit νόμον καὶ ἐρεῖν Democriti, quibus omnia fieri cenſuit. Ex his enim clarum eſſe, quod qualitates reiecerit Democritus, *Tomo primo^e demonſtrauimus, et GALENUM^f id iam obſeruauiffe, atomos omni qualitate carere, ſed ex illarum ſynodo omnes oriri et agitari atomos per omnem aeternitatem*, ipſe Magnenus monet. Quae cum explicationi ſuae obſtare videat, valde ſe torquet, ratus^g illam differentiam ſenſationum, quas atomi excitant, inde prouenire, non quod ſola opinione conſtent, ſed quod reuera inter agens et paſſum debeat intercedere proportio, ſi illa deſit, non ſequatur effectus; at primas elementorum qualitates non voluiſſe proportione probari, neque dixiſſe νόμον ignem eſſe calidum. Tandem capite vltimo theoriam colorum ex mente Democriti pandit^h, demonſtrareque conatur, colorem eſſe lumen internum corporum ab atomis igneis diſfuſum, et per alias atomos refractum, ſuppoſitis axiomatibus, elementa carere omni colore, cum ſint defaecata, et ab omni mixtione immunia, et ex miſtione perſpicui et opaci varios enaſci colores, nempe tranſeuntes. Quae omnia ita roborat, vt diuerſitatem qualitatum in atomis elementorum ſupponat, indeque ex atomis ignis, terrae aquaeque particulas ſubeuntibus, easque perſpicuas reddentibus rem omnem explicet.

§. III. Val-

†) p. 317.

*) p. 376.

n) p. 378.

b) p. 385 ſeqq.

c) p. 415.

d) p. 419.

e) p. 1195.

f) De Element. L. I. c. 2.

ff) p. 437.

g) p. 438. 440.

§. III. Valde sibi ista explicatione physicae Democriteae Magnenus placuit; nec deneganda ei est ingenii subtilitas, et imprimis geometriae peritia, quam haud infeliciter interdum in partes vocavit. Ast quod ad cardinem rei pertinet, inuito eum Democrito, inuita veritate ita philosophatum fuisse, raro veros Democriti sensus affecutum, fatebitur, quisquis historiam systematis Democritici, a nobis *Tomo primo* ex veterum narratione delineatam, cum hac physiologia Magneniana comparauerit. Non vrgebimus lapsus nonnullos historicos, passim a viris doctis notatos^b, sed ipsa principia a Magneno in partes vocata et admissa testamur, quae adeo a Democriti mente distant, vt plane illius systema alterent. Nempe Peripateticis notionibus, quas publice tradere iuuentuti solebat Magnenus impeditus, mira confusione Aristotelem cum Democrito miscuit. Inde enim et formae, quibus tantum tribuit, et omnes formarum actiones in materiam siue atomos desumptae sunt, nec qualitates elementares inter se diuersas alia, quam Peripatetica philosophia Magneno subministravit. Quas si tollis, cunctae eius explicationes corruunt, si admittis, totum Democriticae physiologiae aedificium subuertitur. Teste enim LAERTIOⁱ, Δημόκριτος τὰς ποιότητας ἐκβαλὼν, ἵνα Φησὶ νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ θερμὸν, αἰτιῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν. Democritus qualitates eiecit, dicit enim, dispositione calidum et frigidum, vere et realiter autem atomi et vacuum. Quae verba adeo manifeste Magneni explicationem systematis physici Democriti euertunt, vt vel mediocriter attendenti pateat, parum feliciter in hac eum arena desudasse. Nam et qualitates prorsus omnes, etiā elementares negantur, et vacuum ponitur, quod sui oblitus negat Magnenus, Peripateticae physicae hac quoque in parte velificans. Adeo difficile est, veterum doctrinas perspicere, si oculus accedat alieno colore iam tinctus. Ceterum nec axiomata, quae ponit, omnia principiorum naturam habent, et talia supponuntur, quae non nisi Peripateticus sine contradictione admiserit: propositionum autem demonstratio hiulca haud raro est et ἀνακόλουθος. Tacemus obscuritatem ex nimiae subtilitatis affectatione enatam, et notiones incertas, nihilque clari et perspicui significantes, atque praecisione mentis magis, quam rerum natura nitentes. Quae vitia auctori ex Scholasticae et Peripateticae philosophiae contaminatione haesisse videntur. Quam tantum abest, vt odio habuerit, vt scribere potius cunctatus non sit^k: „Grauissimo omnium „pene populorum consensu sanctam et inuiolabilem esse in academiis Peripateticorum principis maiestatem, vt maiori diligentia illi studeat iuuentus, quem a veteranis quibusque vident scrupulosissime coli“. Vnde promittit, haec priuata tantum fore placita, neque alium secum e philosophis cathedram ascensurum regiam praeterquam Aristotelem. Quae condonari forte possunt, in ea regione philosophanti, vbi sacrosanctum erat Aristotelis philosophia, at abiici tamen et seponi debebant

*Iudicium de
Magneni
philos. De-
mocritica.*

S s s 3 in

h) Vid. MENAG. ad LAERT. L. IX. f. 37.

i) L. IX. f. 72.

k) p. 84.

in explicatione systematis Democritei, quod ab Aristotelico est diuersissimum.

Petrus Gassendus.

§. IV. Meliori successu et feliciori fidere, Democritico Epicuream philosophiam resuscitavit, et propitio genio comtiorem atque commendatorem exhibuit, magnum superioris seculi in republica philosophica et literaria lumen PETRVS GASSENDVS. Cuius tanta sunt cum de literis in genere, tum de philosophia, praesertim naturali merita, ea autem eruditionis elegantia, et melioris philosophiae sensus, vt inter praecipua recentissimae aetatis ornamenta, quae philosophando nominis immortalitatem consecuta sunt, suo iure mereatur referri. Cuius vitae historiam, eo, quo tantum decet virum, cui tot nominibus respublica literata honorem debet, ornatu et accuratone, qua ipse Peirescii, Ioannis Regiomontani, Tychonis Brahei aliorumque vitas delineauit, conscriptam nondum esse, merito dolemus. Et multa quidem, quae ad celeberrimi philosophi historiam pertinent, in eius epistolis occurrunt, quae *Tomum sextum operum* eius complent: dedit nonnulla, NICOLAVS TAXIL in *Oratione parentali* in antecessorem hunc suum in praepositura habita: potiora autem tetigit, qui intimo amicitiae nexu cum Gassendo vixit SAMVEL SORBIERIVS¹⁾, cuius dissertatio *de vita et moribus Petri Gassendi, ad virum illustrem Henricum Ludouicum Habertum Monmorium, libellorum supplicum magistrum*, quae et *Operibus* philosophi, et *Syntagmati de philosophia Epicuri* praefixa est, et a WITTENIO* repetita vice edita, velut certissimus fons historiae Gassendianae consuli debet^{m)}. Tacemus alia passim a viris doctis de Gassendo data, qualia sunt, quae de eo scripsit vitae Cartesii architectus HADRIANVS BAILLETVSⁿ⁾, quaeque in *Praefatione Compendii philosophiae Gassendianae* attulit FRANC. BERNIERIVS. Et nuper quidem, qui celebriorum, qui in Prouincia Galliae nati sunt, virorum historiam meditatus est BVGERELVS Oratorii presbyter *Vitam Petri Gassendi* noua enarratione descripsit^{o)}, et quae passim dispersa iacebant, collegit, characterem animi expressit, scriptorum catalogum et physicae Gassendianae Analyfin breuem subiecit. Qui licet non sine ingenii amoenitate in hoc argumento fuerit versatus, multa tamen perperam attulit, in haud paucis verum non vidit,

1) SAMVEL SORBIERIVS dignus Gassendo discipulus de philosophia literisque praecipue collectione operum Gassendi meruit. Vitam eius descripsit GRAVEROLVS, quae praemittitur Sorberianis. Natus est in dioecesi Vticensi XIII. Cal. Martii anno 1615. educatus a Samuele Petito, cuius ductu in coetu Protestantium vixit. Artis salutaris praecipis apud Parisenses hausit, Londinum abiit, ibique artem medicam exercuit, in Galliam autem redux apud Arausianenses collegio medico praefectus est. Tum transitu ad Romanae ecclesiae castra facta a clero Gallicano stipendium meruit. Nannerum autem in exilium missus, quod aulam Danicam in itineralio a se edito laesisset, Romam

postea abiit, cumque nec in vrbe faustum illi fidus illuxisset, Lutetiam reuersus ex hydrope anno 1670. obiit. Vir eruditus et tum rerum medicarum tum physicarum haud imperitus, testibus scriptis, quae edidit, quorum nonnulla sunt pseudonyma. De Sorberianis autem vid. WOLFIVS ad Casauboniana, praef. §. 15. p. 22.

*) Mem. philos. T. II. Dec. 4. p. 201.

m) Ipse se testem vocat „oculatum, amicum, fidum, discipulum veterem“ l. c.

n) Tangemus infra illa, quae de Gassendo habet BAILLETVS in Vita Cartesii L. VI. c. 5.

o) Paris 1737. 12. vid. Journ. des Savans, 1737. Iul. art. 3.

vidit, non praeter rem ideo ab ANONYMO in peculiari *Epistola critica et historica* reprehensus. Alios, qui acta literaria aevi recentioris exposuerunt, et Gassendi res tetigerunt omittimus, satis enim noti sunt, et in omnium manibus, facileque consuli possunt. Nobis Sorberii fides reliquis potior est, qui cum Gassendo familiariter vixit, et res eius nosse potuit: quem ita sequemur, ut cum eius narratione, reliqua, quae nobis apud alios occurrebant memoratu digna, comparemus, et ea afferamus, quae instituti nostri ratio postulat.

§. V. Patriam habuit PETRVS GASSENDVS Campotercerium agri Diniensis oppidulum, ubi parente Antonio fatus, in lucem editus est anno MDXCII, IX Cal. Ianuarii. Parentibus, pietate et morum suauitate commendatis cum gauderet, puer adhuc ad similes mores formatus est. Laudandumque in eo, quod a teneris vnguiculis, cum vix voces edere posset, sublatis in coelum oculis iunctisque manibus in precibus fundendis diligens, pietatem probauerit, eumque morem ita seruaerit, ut diuino cultui supra modum deditus, firmato vix gressu in publicum prodiens inter coetaneos concionatorem imitaretur, vel solus in multam noctem sereno coelo fideribus contemplandis immoraretur, non sine metu parentum puerum astrologum in tenebris interdum anxie quaerentium. Paulo adultior autem cum corporis et ingenii vires incrementa coepissent, a parentibus Diniam missus est, traditusque disciplinae Godefridi Wendelini, qui, teste VALERIO ANDREA DISSELIO, cum Romam adisset, peragrataque Italiae parte per Massiliensem Galliae prouinciam iter domum versus instituisset. Diniæ aliquantisper substiterat, et iuuentutem formando tempus terebat. Qui cum praeter linguas eruditas in eloquentiae studio et arte mathematica valeret, Gassendum, qui ingenium elegantissimum attulerat, et praematuram spem foecundissimae messis in literarum studio prae se ferebat, ita literis Latinis, Graecis, rhetorica item instituit, ut quis esset futurus rerum intelligentibus statim pateret. Id quod affinem Gassendi commouit, ut eum cum filiis suis Aquas Sextias mitteret, ad discendam philosophiam, quam ibi Fesaius Minorita magna

Vita Gassendi.

*

p) Lettre critique et historique a l'auteur de la vie de P. Gassendi. Paris 1737. 12.

q) Enumerant eos Io. FABRIC. Hist. Bibl. suae T. V. p. 264. DORNIVS ad IONIVM de S. H. P. p. 179. conf. Act. erud. 1718. p. 519.

r) In Bibl. Belg. quo cum conferendus METRÆVS de Script. seculi XVI. c. 237. Bibl. Eccl. Fabr. p. 325. Natus est in dioecesi Leodiensi anno 1580. pr. non. Iun. praecoptorem nactus Henricum Alenium, magna praecocis ingenii prodidit specimina, tredecim enim annorum iuuenis carminis Latini facilitate et elegantia et linguarum Hebraicae, Graecae et Latinae pericia alios vincebat. Tum Pragam aditurus Norimbergae a dysenteria correptus subfirit, patriamque restituta sanitate repetens in Louaniensi schola literis humanioribus et philosophiae operam dedit.

Dein Lugduni aliquantisper corrigendis typographorum libris inuigilauit. Ineunte seculo XVII Romam ad celebritates seculares accurrit, indeque per Galliam itinere facto apud Massilienses et Dinienses iuuentutem literas docuit, et hoc loco Gassendum discipulum habuit. Patriam deinde reuifens cum nouum iter meditaretur, Lutetiam abiit, et in domo Andreae Arnaldi octennium haesit. Anno 1612 ad Belgas reuersus, ecclesiae ministerio se addixit, et nonnulla munera ecclesiastica nactus est. Adeo vero in scientiis mathematicis excelluit, ut summis laudibus eueheretur, inter quas minima haud est, quod sui aevi Prolemaeus dici meruerit. vid. Voss. de Scient. math. c. 66. §. 18. p. 392. Notandum nobis quoque ob diss. de Tetracty Pythagorica.

nominis celebritate docebat. Quod licet pater aegre ferret, qui agro magis quam ingenio colendo, filium destinauerat, consensit tamen ea conditione, vt patriae filius post biennium redderetur, scilicet, vt de futurae vitae conditione illi prospicere posset, ratus, praestare inter Cereris operas fatiari, quam in Musarum choris esurire. Exacto itaque biennio cum egregie in philosophiae studio profecisset, ad patrem rediit, ast a vili opera abhorrens, cum animum quam terram colere mallet, ducente diuina prouidentia Diniam sedecim annorum adolescens vocatus est, vt rhetoricam doceret. Cumque triennio post ad plures abiisset Fesaius, imberbis iuuenis celebri viro in philosophia docenda successor datus est. Quam spartam ita ornauit, vt iudicii acumine et ingenii elegantia praceptoris lumina obfuscarer isque videretur, qui in senatu philosophico, etiam iuuenis locum tueri posset. Quamuis autem tum temporis vnus in Gallicanis scholis Aristoteles regnaret, vt supra iam probatum, impossibile tamen fuit, iudicii acrimoniam, qua pollebat Gassendus a spinis scholae suffocari, et incerta vagaque Stagiritae philosophia fatiari eius animum. Id quod illum excitauit, vt et alteram partem audiendam esse statueret, et quid contra Aristotelem monerent viri docti, quibusque rationibus Lycei philosophiam reprehendissent, accurato examine excuteret. Oppugnauerant autem Peripateticam disciplinam ante Gassendi tempora Ludouicus Viues, et Petrus Ramus, secessum quoque fecerant Picus Mirandulanus et Petrus Charondas, cuius celeberrima tunc fama inter eruditos percubuerat, ob librum *de Sapientia*. Hos dum legit, dumque argumen-

torum

s) Monet nos celeberrimi viri nomen, vt indidum eum in historia recentioris philosophiae non patiamur, in qua non ignobilem famam meruit. Vitam eius libro de Sapientia praefixit editor Parisiensis editionis 1607. prolixè quoque enarravit et obseruationibus more suo illustravit P. BAYLE, Dict. T. II. art. Charron p. 142. Natus est Petrus Charondas, (Charron) Lutetiae anno 1541, animumque literarum studiis adiciens, humanitatis scientias, philosophiam et iurisprudentiam in schola Aurelianensi didicit. Summos autem iuris honores nactus in curia Parisiensi causas publice egit. Pertaeus tamen caussidicorum technas, ad theologiae studium conuersus est, tanto successu, vt inter oratores sacros omnium maxime eniteret. Id quod commouit episcopos multos, vt oblaris muneribus ecclesiasticis satis pinguibus eum sibi vindicare cuperent, vnde passim ecclesiasticae munus obiit. Anno 1588. Lutetiam Parisiorum reuersus Cartesianorum Sodalitio, et his recusantibus Coelestinorum familiae nomen dare constituit, sed ob annorum numerum, quo disciplinae rigidi-ori sustinendae impar credebatur, admissus haud est. Ergo inter clericos seculares subsistens, ad oppugnandam scriptis infidelium et haereticorum aciem se conuertit, quo studio meruit a Cadurcorum episcopo generalis vicarius, quem

vocant, constitui, promotus postea in ecclesia cathedrali Cadomeni ad cantoris munus. Parisienses anno 1601. adiit, vt iteratam editionem libri de Sapientia curaret, vix autem initio editionis factò, in publica via XVII. Cal. Dec. 1603. exanimis corruit. Famam autem, licet satis ambigam et difficilem sibi comparauit, editis libris duobus, quorum vnus hoc gaudet titulo: Trois veritez contre tous athées idololâtres, Iuifs, Mahometans, heretiques et schismatiques, Paris 1595. 1611. 4. 1625. 8. In quo haec tria sibi demonstranda sumit: esse Deum, esse vnam modò veram religionem, et hanc vnam esse illam, quam profitetur Romana ecclesia. Quem librum recudi fecit, et examini subiecit FRANC. IUNIVS Lugd. Bar. 1599. 4. conf. IO. ALB. FABRICIVS in Syllabo Script. de V. R. C. c. 21. p. 470. Bibl. Graec. Vol. VI. p. 116. BAYLE Dict. I. c. not. C. Alter famosum illud de Sapientia scriptum est, quod Gallica lingua prima vice Paris 1601. prodit saepe postea recusum, ast in nonnullis editionibus mutilatum, vid. Cat. Bibl. Reimmann. p. 119. 120 STOLLIVS Hist. liter. P. III. c. 1. §. 55. p. 619. In ea tractatione nonnullam Charondam amici sui, Michaelis Montani vitulo arauisse, obseruatum SOBELLIO Bibl. Franc. c. 5. p. 52. et P. BAYLE l. c. not. O. In ea atheis et Latitudinariis aliisque impietatis patronis

torum pondera excutit, adeo capitur taedio philosophiae Peripateticae, vt totus arderet desiderio, eius nuditatis detegendae. Quod cum eodem fere tempore praeunte Sebastiano Bassono ^{ff} simili modo tentassent Antonius Villonius, Io. Bitaudus et Stephanus Clavius, vt supra in vita Claudii Berigardi dictum, mirum non est Gassendum, in hoc consilio vehementer fuisse confirmatum. Lectis eum quoque FRANCISCI PATRICII *Discussionibus Peripateticis*, ex huius pharetra tela aduersus Peripateticos depromsisse auctor est RICHARDVS SIMONIVS, sed exigua verisimilitudine, cum Gassendus, licet iam in arenam contra Aristotelem descendisset, totam tamen pugnam deseruerit, quod eo labore satis esse defunctum Patricium comperisset. Quoscunque autem vel auctores vel exempla in ea re Gassendus secutus fuerit, illud certum plus vidisse vnum iuuenem, viginti quatuor annorum, quam multa secula, pleraque, quae alii sparsum monuerant, collegisse, et inuictam Peripateticis paralogismis argumentorum aciem opposuisse. Quod tamen vt caute faceret, professionis, quam tuebatur, publicae ratio monebat, qua iniunctum illi erat, vt philosophiam doceret Aristotelicam. Vt itaque inuidiam declinaret, ita per sexennium, quo philosophiam Aquis Sextiis docuit, lectionum suarum cursum distribuit, vt in duas eas partes diuideret, vnaque Scholasticorum Aristotelem sequentium opiniones et placita explicaret, et quibus modis illa possent defendi exponeret: altera autem illud obiectionum agmen illis opponeret, quo non posset non tota Scholasticae et Peripateticae philosophiae acies euerti. Quod licet molestum esse Aristotelis adulatoribus probe videret, odium tamen ita euitare fategit, vt haec paradoxa se non pro veritatibus certissimis, sed pro problematibus habere affirmam-

nis aliis dum rimam obstruere satagit, ipse inter atheismi fautores haud leui suspitione numeratur, eo quod nefandi hominum generis obiectiones, qua, posset, vi et robore instructas enarrauerit. Cuius accusationis primarius auctor fuit, ex Soc. Iesu theologus Garassius, quem alii secuti sunt multi. Displicuit tamen temeraria accusatio viris aliis cordatis indigne ferentibus, alienam Charondae mentem saepe affingi. Vnde qui GARASSII Doctrinam curiosam adhibita Censura examinavit OGIERIVS vindicias in eo iudicio pro Charonda scripsit, quod et ipsum eius biographus, et post eum P. BAYLE l. c. et Ven. REIMANNVS Hist. atheismi S. III. c. 5. §. 16. p. 405 seq. et Cat. crit. l. c. fecerunt. Sunt tamen nonnulla in eo libro, magno cetera acumine et humanae mentis notitia, referta, quae viris doctis non immerito displicuerunt. Inter quos multa contra eum monuit PETR. MOLTINAEVS in libro de Pace animae, Conf. CLER. Bibl. anc. et mod. T. XVII. p. 301. 322. Journal des Savans 1704. p. 303. alii.

f) Haec ipse narrat in praef. Exerc. paradoxi g. adu. Aristoteles.

Hist. Philos. Tom. IV.

ff) De Bassono supra, quantum satis dictum. Hoc loco iis adiciamus, referre THOM. CAMPANELLAM de Libris propriis c. 2. art. 5. p. m. 392. Bassonem inter eos, qui nuperrime philosophiam Epicuri explicare, aut potius instaurare conati sunt. Id quod falsum esse, ipsa libri Bassoni lectio demonstrat, et admissa ab eo principia euincunt. Basso enim minima naturalia siue atomos pro materia quidem rerum naturalium habuit, ideoque veteres hoc nomine laudauit, vid. Phil. nat. L. I. art. 3. p. m. 8 seqq. est ita, vt ex Anaxagorae, Democriti, Platonis aliorumque hypothesebus propriam fingeret, et istos inter se conciliaros ad certas atomorum elementarium classes reuocaret: Democritum tamen se sequi professus. Loco vacui autem dum spiritum aliquem mundi creatum ponit p. 333. manifeste totum systema Democriteum euertit. Non tamen omni verisimilitudine caret, Bassonis librum Gassendo cogitandi de Epicuro occasionem subministrasse.

t) Biblioth. crit. P. IV. p. 100. conf. Cl. STELLIVS Hist. lit. P. II. c. 2. §. 48. p. 462.

T t t

firmaret, et sese totum ecclesiae censurae atque iudicio submitteret. Ita et philosophiae et iuuentuti et famae suae atque tranquillitati consultum fore credebat. Vt vero non solum iuuentuti literis vacanti operam commo- daret suam, sed orbi quoque erudito studium probaret suum, animaduersiones in philosophiam Peripatetico-Scholasticam *Gratianopoli* typis vulgavit, hoc titulo praefixo: *Exercitationum paradoxicarum aduersus Aristoteles libri septem, in quibus praecipua totius Peripateticae doctrinae fundamenta excutiuntur, opiniones vero aut nouae aut ex vetustioribus obsoletae stabiliuntur.* Antequam autem infidum vulgi pelagus ista editione tentaret, virorum summorum quorum iudicio et eruditioni plurimum tribuebat, sententiam explorandam sibi esse statuit. Ostendit itaque librum, curiae, quae Aquis Sextiis est, praefidi et magno literarum literatorumque Meconati Nicolao Fabricio Peirescio, itemque Iosepho Gatterio priori Valettae. Qui cum animum Gassendi excelsum, iudicium acre et limatum, et eruditionem profundam essent mirati, extrahendum eum scholae altercationibus statuerunt, et vitae ecclesiasticae tradendum, vt et otio frueretur securiori, et tranquillitate ad philosophandum vberiori, et auctoritate aduersus eos, quos mordebant eius exercitationes, ampliore. Sacris itaque ordinibus admotus, et canonicatu Diniensi donatus est, postquam doctoris insignia accepisset: et secuta quoque est praepositura eiusdem ecclesiae, de cuius tamen possessione Gassendo cum canonicis acriter postea fuit dimicandum. Huius ita axiomatis clypeo quasi tectus, librum, vt dictum, anno MDCXXIV edidit, quem Bataui sequenti tempore ob eximiam eruditionis praestantiam bis * recusum dederunt. Neque inuidia Aristotelicorum et Scholasticorum detererit se a continuatione laboris huius passus est, sed edidit *alterum* quoque *Exercitationum paradoxicarum aduersus Aristoteles* volumen ^v, euer- tendae logicae Peripateticae destinatum. Et simili quoque consilio quinque partes alias meditabatur, quibus omnis Aristotelis et Scholasticorum philosophia confutaretur, eas autem aut non absoluit aut non edidit, vel quod Patricium pleraque occupasse cerneret, vel vt tela aduersariorum declinaret, graui bello in eum exsurgentium. Praeuidit enim ipse Gassendus et praedixit ^v crabrones se irritaturum, et haud leuem conciliaturum sibi esse horum hominum inimicitiam. Qui cum eo adhuc tempore in aula et curia Parisiensi satis auctoritatis haberent, vt Aristotelomastigas vi repellere et coercere possent, vt ex iis clarum est, quae de machinationibus Peripateticorum contra Villonium, Bitaudum et Clauium nar- rat Io. LAVNOIVS ^w, dubium non est, quin Gassendum metus quidam et pro-

*) Amstelod. 1649. 8. Hag. Comit. 1656. 8. Re- censionem primae editionis exhibet HEVMANN. Act. phil. l. c. secundam auctores Memofiarum de bibliotheca Thomafiana, tertiam STOLLIVS. l. c. p. 461.

v) Dubitat, vtum editum fit ELSWICHIVS

ad LAVNOIVM de Fort. Arist. p. 325. sed prodi- ifte testes sunt STOLL. l. c. MORH. l. c. HEV- MANN. l. c. rarius autem occurrit.

v) Exercit. V. §. 12.

w) De Fort. Arist. c. 17. p. 310 feqq.

et providentia, consilia quoque amicorum * impulerint, vt argumentum inuidia plenum defereret, quaeque dicenda restabant, alio loco, tempore, habitu produceret: id quod ab eo in aliis eius tractationibus factum esse, recte Cel. HEVMANNO y obseruatum est. Certe maiori se hoc commendat veri specie, quam quod Honoratus Fabri coniicit, et calculo suo probat MORHOFIVS z, Gassendum iuuenili inductum audacia et causa quoque quadam priuata permotum, istam viam instituisse, qua ad famam perueniret, at senem poenitentia eius rei ductum fuisse. Quamuis enim annis grauior placatiorem vultum in scriptionibus suis Gassendus exprimeret, semper tamen ab Aristotelica philosophia abhorruit, et Epicurum Stagiritae praetulit, id non facturum, si belli contra Lyceum suscepti eum poenituisset. Illud autem verum, vix intolerabilius Peripateticis vulnus visum esse illo, quod tela Gassendiana infixerunt: vnde varii contra eum sublati clamores, et retundi tentata arma, quibus tam fortiter ἀκρόπολιν Peripateticam oppugnauit. Id quod ex vno Io. IONSH * viri doctissimi exemplo disci potest, qui cum aequae ferret, Epicurum a Gassendo laudari, eiusque philosophiam illustrari, concoquere non potuit, quod in istis exercitationibus Aristotelem aggressus sit, iudicauitque exigua verisimilitudine, „Gassendum in illis Ramistam a agere, et acerrimum se Aristotelis „calumniatorem prodere, quanquam nihil minus se facturum in praefatione „ne polliceatur. Sed puduisse eum coepti insolentis, vt libros reliquos „tenebris aeternis damnauerit, et cum Aristotelem vituperare sine dedecore non posset, ad alterum extremum delaberetur, Epicurum laudaturus meliori iure et successu“. Tacemus alios Aristotelicorum conatus, quibus respondere Gassendo et calumniam depellere ab Aristotele conati sunt. Qua ratione de Stagirita bene mereri studuerunt MICHAEL WATSONIVS b, Kiloniensis, HENRICVS VFFELMANNVS c, Helmstadiensis, HENRICVS ASCANIVS ENGELKE d, Rostochiensis professor. Nos non diffitemur quidem, iuuenilem ardorem et quandam ferociam in his exercitationibus se prodere, et potuisse Gassendum nonnulla parcius et modestius obiicere: quam in viro maximi ingenii virtutem merito miramur, vbi iuuenilis ille impetus deferuit: absque partis autem studio pronuntiandum quoque esse existimamus, plurima acute doctaque monuisse Gassendum, et vlcera Peripatetica fortissime tetigisse, hacque ratione de philosophia praeclare meruisse: sane, hodegi instar esse posse in lectione Aristotelis, vt discatur, quid examinandum sit. Probamusque iudicium Io. HENR. BOECLERI, monentis e, „Gassendi parado-

T t t 2

„xi-

x) Idem obseruatum HONOR. FABRI Epist. L. II. p. 74. et ELSWICHIO l. c. p. 325.

y) loc. cit.

z) loc. cit. p. 67.

*) De Script. hist. phil. L. V. c. 2 p. 313. edit. vet. p. 177. ed. Dorn.

a) Quamuis Rami exemplo se excitatum esse ad examinandam Peripateticam philosophiam

Gassendus in Praefatione fateatur, non tamen ideo Ramista est, quia Rami dialecticam nunquam probauit.

b) In Apolog. pro Aristotele, teste MORH. l. c. ἀνεκδότου.

c) In Oratione aduersus Gassendum.

d) Aliquot dissertt. Rostochii 1698. editis.

e) Bibliograph. crit. p. 591.

„xicas exercitationes aduersus Aristoteleos licet non per omnia serio
 „agant, legi tamen ad iudicium informandum, ne plus vltra aut citra
 „eatur, mereri.

*Labores phi-
 losophici
 Gassendi re-
 liqui.*

§. VI. Strata hunc in modum via, remotisque, quae in philosophiae studio obstabant dumetis Peripatetico-Scholasticis alacriori pede ad sapientiae magis sobriae et prudentis adyta progredi Gassendus constituit. Quod eo promptius facere licebat, quo liberiori fruebatur otio, et Lutetiam Parisiorum delatus, vt praepositurae, quam nactus erat, possessionem confirmaret, occasionem habebat fauentissimam, praeter *μαθήματα*, quae supra modum diligebat, omnem philosophiae campum perlustrandi, et iis auxiliis vtendi, sine quibus in hoc oceano natare potest nemo. Et tum ad Epicuri systema delatus est, de quo infra dicemus. Non vero contentus, mortuos consuluisse, postquam veterum et recentiorum lectione se ita ingurgitauerat, vt vastissima inde enasceretur omnis literaturae, maxime veteris, copia, viuos quoque in partes vocauit, cum eruditissimo quocunque amicitiam iniit, anno quoque huius seculi vigesimo octauo cum Francisco Tuillero rationum apud Parisinos magistro in Belgium peregrinationem suscepit: in qua cum viris doctissimis vbique innotuisset, magna fuit Gassendi apud eos doctrinae existimatio, cum et eruditione polleret, et moribus ornaretur humanissimis. In Italiam autem appulisse, et Romae cum Athanasio Kirchero aliisque viris doctis de rebus ad philosophiam spectantibus contulisse, quod nonnulli perhibent, negat Sorbierius. In eo itinere otiosus non fuit Gassendus, sed ad euertenda Roberti Fluddi somnia, quibus theosophicam quandam philosophicam comminiscendo magnos fumos vendidit, vt in sequentibus docebimus, operam suam conuertit. Cuius illi occasionem subministravit Marinus Mersennus, vir doctissimus, et Gassendo amicissimus, qui, cum in *Quaestionibus in Genesin* Fluddi *παραερμηνείας in philosophia Mosaiica* admittas, detexisset, ad responsiones Fluddi plura excipere, et contentions ferram, a qua abhorrebat, recipere noluit, sed amico suo, vt id laboris fusciperet, persuasit. Et fatendum omnino est, meliori successu Gassendum, quam Mersennum, cum Fluddo disputauisse. Diffusa enim lectionis et scriptio- nis copia *f* se ipso interdum Mersennus est inferior, id quod candide fatebuntur, qui *Q. q. in Genesin* longe rarissimas paucisque vifas, cum cura euoluendi examinandique occasionem habuerunt, nosque multoties in viro cetera eruditissimo experti fumus. Ast Gassendus vt assuetus erat notionibus claris, distinctis, perspicuis, et argumentum, quod tractabat, omne animo accurate et ordine erat complexus, ita magno lumine disputationes suas replebat, *αυτεις διζεις* mira *ἀσυχονία* detegebat, erroresque suis haud raro telis confodiebat. Cuius specimen in *Examine philosophiae Fluddanae* dedit prorsus egregium, in quo Fluddi systema ex propriis prin-

f) Recte id in Mersenno reprehendit SORBIERIVS l. c.

principiis evertit, et methodo vsus Socratica, quam feliciter adhibere no-
uerat, omnem Fluddanae ratiocinationis neruum succidit. Narratque
Sorbierius, in ea arte prorsus mirum fuisse Gassendum, „seque, ait, fae-
„pius audiuisse, laceffitum a sophistis nullam aliam responfionem adhibere,
„praeter eam, quam ipsi sibi aduersarii fecissent: quippe nudare solitum
„fuisse perplexa et inuoluta verborum cortice sophismata, probaturum,
„an auctorum mentem assequeretur. Quod vbi concessissent, rogasse,
„vt iam efferrent ratiocinia sua verbis istis eius captui magis accomodatis:
„et sic iucundum fuisse videre bonos istos viros, quos ratiocinii sui sup-
„puderet, eo quod durum esset reliqua retexere, quae tunc apparerent
„ineptissima“. Quae luculento testimonio sunt, Gassendum in arte ratio-
cinandi admodum valuisse, et perspicuitatis beneficio ratiocinationum vim
omnem accurate perspexisse. Quibus accedebat, quod, teste iterum Sor-
bierio, ad ironiam esset natura sua propensior, sine qua friget methodus
Socratica. In hoc autem, de quo diximus itinere Batauico supra modum
viris eruditissimis placuit ingenii Gassendiani elegantia, et iudicii acumen,
quo factum, vt magnos in republica literaria heroës, et quoscunque vi-
ros conuenerat eruditione illustres, sibi amicos et doctrinae suae admira-
tores conciliaret, adeo, vt non deessent, qui Gassendianam philosophi-
am Cartesianae, valde tunc inter Batauos caput efferrenti, praeser-
rent, et imprimis in disceptatione illa, quam cum Cartesio Gassendus
iniit, quamque infra tangemus, eius partibus velut melioribus et fortiori-
bus accederent ^g. Talis cum esset Gassendus, non potuit non eruditio
tanti viri atque virtus summis quoque viris esse commendatissima. Vnde
factum, vt, licet lucri et honorum minime esset appetens, et ob eam
causam omnem munerum dignitatem et emolumenta refugeret, attamen
archiepiscopi Lugdunensis, cardinalis Alphonsi Plessei, Armandi Riche-
lii fratris consilio immo iussu inuitus cogeretur regiam apud Parisienses
matheos professionem anno MDCXLV suscipere: quamuis, quod mi-
randum, ipsi Richelio cardinali nulla Gassendi cura fuisset ^h. In vrbe
autem cum iam ante istud munus collatum magna esset de Gassendo opi-
nio, dici non potest, quanta expectatione ad eius lectiones accurrerint
iuvenes, matheos mysteria discere cupientes, quam egregie illi non
responderit tantum doctrina et diligentia Gassendiana, sed eam quoque
multis modis superauerit, et quam frequens fuerit ob istam causam eius
auditorium, quod non studiosa modo iuuentus tyronesque replebant, sed
et viri ornabant grandaeui et rude donati, ab hoc Varrone, quo nomine
recte eum cohonestat Sorbierius, ea audituri percepturique, quae sine eo
ignorauissent. Quanquam autem magna ex hoc labore Gassendi emolu-
menta in literas redundabant, summa tamen, qua ad explendas muneris
partes utebatur contentio valde damnosa Gassendo extitit. Cum enim

T t t 3 pulmo

g) Inter eos Adrianum Heerebordum et Hen-
ricum Bornium nominat Sorbierius.

h) Frigide id, nisi fallimur, excusat Sor-
bierius.

pulmo debilis vim istam vocis satis ferre non posset, tussis inde et pulmonis secuta est inflammatio. Vt itaque natalis aëris spiritu reficeretur patriam repetiit, et in Prouinciā abiit, Diniæ aliquantisper commoratus. Ibi Valefio proregi carissimus semper adesse, et tum morum iucunditate eum pascere, tum consiliis iuuare suis iussus est. Diniæ commoratus vsque ad annum MDCLIII, Lutetiam repetiit, cum Francisco Bernierio Andegauensi medico, quem ex lectissimis Gassendi discipulis fuisse infra dicemus. In hac vrbs regiae frequentia nec amicis Gassendus defuit, nec philosophiae et literis. Publicata enim vitae summorum astronomorum Tychois Brahei et Copernici historia, in adornando philosophiae suae systemate totus fuit. Quod qui cum attentione expendunt, fatebuntur, virile iudicii robur, et quandam maturitatem cum ingenii late se in eo explicantis sobrietate eo tempore in Gassendo quam maxime floruisse. Verum nimia laborum assiduitate exhaustum corpusculum par amplius tantae animi contentioni esse non potuit, et in morbum satis iam grauem anno MDCLIV incidit. Quo leuatus quidem studiorum intermissione facta et edueta ex senili corpore sat magna sanguinis copia, vires tamen recuperare non potuit, adeo vt nec ambulationes in horto, quibus delectabatur, nec amicorum confabulationes, quibus mire recreabatur, diu sustinere posset. Id quod praeter pectoris debilitatem, nimiae sanguinis missioni adscribendum esse videtur, quam ideo recte improbat PETRVS BORELLVS ⁱ. Certe ab eo tempore miserabilem vitae conditionem fuisse expertum, et subinde febriculis et ventris profluuiis, pulmonis labi valde inimico fatigatum et exhaustum fuisse, testis est GUIDO PATINVS ^k. Confluebat tamen ad tantae celebritatis virum, quicquid literis pretium statuere nouerat, nec medicorum frequentia deerat, quae tamen optimum virum perdidit. Anni enim sequentis auctumno in morbum lethalem incidit, quem cum nouem sanguinis missionibus leuare conarentur medici, vidit ipse Gassendus, immoderatae phlebotomiae tolerandae se imparē futurum esse. Noluit tamen medicis in eius perniciem dissentientibus deesse, forte quod spem nullam superesse videret recuperandae valetudinis firmæ, pellendique morbi ipsa morte grauioris, et quo spiritum vix trahere licebat. Exhaustis itaque viribus omnibus, cum extremam imminere horam sentiret, animo magno vereque philosophico ad subeunda vltima fata se praeparauit: sacrisque animae remediis adhibitis, menteque ad vnum Deum conuersa, sacris tantum meditationibus imperatoris vocem statione decedere iubentem expectauit, tanta animi praesentia, vt manum subinde pectori admoueret, ad notandum titubantem gressum et deficientem vigorem vitalis laticis. Tandem omnem philosophiam suam digna tanto philosopho, voce, quae vltima fuit, ad Poterium suum emissa: *Vides, quid sit hominis vita?* absoluendo IX Cal. Nou. anni MDCLV placide obdormiuit, anno aetatis ἀνδροκλασῆ, nempe LXIII, quem a no-

uem

i) Obseruat. medico-physic. Cent. III. obs. 11.

k) Epist. select. L. p. m. 167.

uem iam mensibus exegerat. Quantum autem virum amiserit ciuitas literaria vniuersalis luctus, quo eum amissum totus fere doctus orbis deplorabat, satis comprobauit. Maxime Ludouicus Habertus Mommorius, libellum supplicum magister, qui vt omnes viros doctos fouebat, ita Gassendum in aedibus suis nutriebat, eiusque sermonibus animum philosophiae vehementer addictum ^l nutriebat, funus ipse duxit, cadauer splendide extulit, et sepulchro maiorum suorum iuxta Guilelmum Budaeum deposuit, vt qui viuus eruditorum societatem ornauerat, in morte quoque celeberrimo viro cuidam iungeretur. Ornatus quoque in Mommorianorum sacello statua marmorea, et epitaphio magnifico ^m. Demortuum laudauit, vt supra dictum Nicolaus Taxilius ⁿ in praepositura successor, quae eius laudatio non sine amaris largisque ciuium fletibus et maximo omnis aetatis hominum concursu audita est.

§. VII. Meruisse honores hos omnes Gassendum, vniuersae reipublicae literariae consensus probat et iudicium, quo inter maximos suae aetatis viros refertur. Inerat enim illi iudicandi vis summa et acerrima, qua errores eorumque fontes accurate perspiciebat, et qua ratione ex principiis primis et simplicissimis veritas omnis esset deducenda, pulchre videbat. Ingenii autem elegantiam et perspicuitatem possidebat prorsus mirabilem, qua et apte atque ordinate cuncta necitebat, et miro artificio ita delineabat, vt inuitum quasi lectorem in partes raperet, totumque sui admiratione occuparet. Quantae autem memoriae vires fuerint, vasta illa lectionis copia, qua omnem veterem literaturam animo comprehendit, satis comprobat. Et sacras quidem disciplinas exacte tenebat, in philosophia autem principatum suo tempore fere obtinebat, certe non erat, qui eum perspicacia et meditationis soliditate vinceret. Ita vero in errorum fontes, nexus, et praeiudicia penetrabat, vt quid reponi posset, vix inueniretur. Cum autem nouum systema condidisset, illud ita ornauit, et verisimilitudine tanta atque elegantia commendauit, vt etiam aduersariorum admirationem mereretur. Incomparabilis etiam in arte mathematica, et quam singulari studio excolluerat, in astronomia extitit. Quamuis enim, fatente Sorbierio, desiderarent nonnulli in eo mathesin profundiorum, quae in geometriae et arithmeticae mysteriis sublimioribus versatur, in qua eo tempore excellebant

*Character
animi et
eruditionis
Gassendi.*

Car-

l) Epitaphium Gassendo scriptum a Mommorio et aliud ab amicis erectum adest THOMAS POPPE-BLOUNT Cenf. celebr. auctor. p. 965 seq.
m) Dignus est, qui de Mommorii studio in philosophiam et philosophos legatur locus HERTZII de rebus ad eum pertinentibus L. III. p. 68. quo narrat, „apud virum hunc omnis doctrinae et sublimioris et humanioris amantissimum, certo per singulas hebdomadas die certaue hora conuenisse magnum doctorum hominum coetum, habitasque inter eos fuisse vires et eruditatis de Rebus physicis dissertationes. Huic col-

legio magno fuisse decori Petrum Gassendum, inter primos aetatis huius philosophos merito suo reponendum. Cui quamuis esset cum Mommorio hospitium et domesticus vsus, hic vero videretur sectam eius persequi et Epicuri doctrinam probare, occulte tamen fauisse Cartesio, cui palam aduersaretur Gassendus, nec aliam ob causam creditum fuisse conuentum hunc philosophorum apud se instituisse Mommorium, quam vt eorum animos Cartesianis dogmatis assuefaceret, et in hanc sectam sensim pertraheret.
n) Prodiit 1656. 4.

Cartesius, Robervalius et nonnulli alii; obseruatum tamen laudato viro „docto: „discere Gassendum ea neglexisse, quae nullius vsus esse nouerat, „impensae vero, hoc est temporis in acquirendo sat longi. Nimirum satis „esse duxit vitae humanae breuitatem aduertentem et angustiam mentis „nostrae dimetientem necessaria tantum comparare, et ea, sine quibus ad „philosophiam se accingere non posset; non inuidentem aliis, qui toti geo- „metriae vel algebrae incumbere, subtilissimarum inuentionum gloriam. „Prae oculis semper habuisse vltimum philosophandi scopum, felicitatem, „et ex vniuerso scientiarum ambitu ea tantum collegisse, quae praecipue „ad institutum suum facere viderentur; haud imitatum imprudentem via- „torem, qui ad loca quaeque amoena deflectit immemor patriae vel ter- „mini peregrinationibus suis praefixi“. Sed et reliqua legenda sunt, quae pleraque sobrie monet Sorbierius. Quantus autem in astronomiae studio viris summis illa aetate visus sit, vnius GER. IO. VOSSII^o testimonio confici potest, qui se, ait, *eius singularem et multiugam eruditionem non potuisse non mirari, cum Belgicam terram lustrans, se non semel salutatione et alloquio suauissimo esset dignatus.* Et meruit ideo Gassendus, vt ab ISAACO BARROVIO^p, inter summos aevi nostri mathematicos, acumine similes antiquis et prope pares referretur, et iungere- tur Galilaeo, Gilberto, Cartesio. Maxime vero vastissimam lectionis copiam in Gassendo miramur, qua omnes fere antiquae doctrinae fontes exhaustit, nihil non vidit, nihil non in horrea sua reposuit. Quae tamen non, vt fieri plerumque solet, confusum aliquod chaos, et vastam inconditamque aliquam molem constituunt, qua semper fere suffocari solet iudicandi vis atque acrimonia, sed nihil congeffit, quod non ordinate digessit, miroque acumine ad veros vsus adhibuit. Testem damus *Commentarium eius in Librum X. DIOGENIS LAERTII*, in quo coaceruauit mira diligentia et felicitate, quicquid apud veteres ad illustrandam Epicuri philosophiam inuenire poterat. Sic vt praeter exilia quaedam, et nonnullas emendationes criticas neque Menagio neque Meibomio, viris eruditissimis spicilegium reliquerit. Superauit tamen haec omnia cogitandi ars, quae illi inerat, summa, qua et perspicue et ordinate de rebus omnibus iudicabat, et ratiocinandi leges accurate obseruabat, et errores luculenter detegebat. Quibus cum accederet vbertas ingenii affluentissima, qua mira elegantia et perspicuitate, quaecunq; dicere vellet, ob oculos poterat ponere, et viuis quasi imaginibus commendare lectoribus, mirum non est, inter maxima seculi sui ornamenta vnanimi eruditorum sententia Gassendum fuisse numeratum. Cuius quamplurima adducere possemus testimonia, si id ageremus, et hanc ante nos prouinciam non suscepissent viri nonnulli docti^q, qui laudes eius colligerunt: quibus ta-
men

o) De Scient. mathemat. c. 66. §. 10. p. 389.

p) In Opusc. p. 87.

q) POPE-BLOUNT. Cens. cel. auct. p. 964 seq.

MAGIRVS Eponymol. crit. p. 377. BAILLET Jugemens des savans T. I. p. 339. IO. FABRIC. Hist. Bibl. suae T. V. p. 264.

men multa addere in procliui esset. Nos ex multis duo tantum damus, ne aduersariis quidem Gassendiani nominis contemnenda. P. BAYLIJ, cui maximo elogio Gassendus audit, *philosophorum literatissimus, et literatorum maxime philosophus*, et PETRI SYLVANI REGII, ita de Gassendo scribentis: „Multa praeclara eruditissimaque opera de rebus ad philosophiam pertinentibus composuit, in quibus admiranda perspicuitate omnes praeceptorum philosophorum opiniones ab ipso vel refellendas vel admittendas exponit, ita ut pro certo dici possit, nullum philosophum, praeter ipsum, tam vehementer veritatis studio unquam operam dedisse“. Non ignoramus quidem, displicuisse nonnullis Gassendum, quod Epicurea nimium amauerit: inde insanum in absurdissimam totius gentilismi haeresin amorem ei exprobrat IAC. THOMASIVS, et HERM. CONRINGIVS, qui pleraque eius se mirifice affecisse fatetur, obiicit, videri eum Epicuri potius, quam Christi sectatorem: unde alibi eum minime Christianum esse dicit, sed de grege Epicuri, eaque quae in Aristotelem scripsit, nullius visa sibi esse pretii, ait. Quae excidisse quidem nollemus viris eruditissimis, sed ob Epicuri partes a Gassendo defensas contra eum odio et sinistra opinione occupatis, qui vero aliter pronuntiaissent, si animo reputauissent, Gassendum illos errores, qui infensam illis merito fecerunt physiologiam Epicuream reprobauisse, adeoque nihil contra pietatem doctrinae Christianae machinatum fuisse. Verum haec ἐγκλήματα meruit Gassendus, ob proscriptum et notatum Aristotelem, cui valde fauebant Conringius et Thomasius. Quod patrocinium Epicuri ipsum quoque SAMVELEM PARCKERVM permouit, ut cum eum, non eruditione, quam aut iudicio aut candore nobiliorem iudicaret, suspicaretur tamen, eum ex affectu animi Epicureae causae defensionem scripsisse, quae apertum bellum omni religioni indicat. Similes enim censurae partium studio, quo aegre toto liberantur viri docti, condonandae sunt, et haud leuis gloria Gassendi est, fateri eos vberimam illius doctrinam et iudicium haud contemnendum. Animi autem virtutes eum aluisse optimas et ab omni impietate remotas vno ore testantur, qui candidissimae mentis virum nouerunt. Magnificis enim verbis et inuidendis elogiis extollunt non fucata, qua aduersus Deum usus est, pietatem, multis speciminibus demonstratam. Quae tanta fuit, ut deserere Epicurum, licet sibi deamatam, quam causae Dei deesse, et capitales Epicuri errores non refutare mallet. Temperantiae autem illud statuisse pretium amici affirmant, ut supra modum sobrietatem coleret, et anachoretae similis, abstemius

sua

r) Conf. ALLATIUS in Apibus urban. p. 92.
Io. WILLISIVS de Anima brut. P. I. c. I. p. 6.
FACCIOLAT. de Enthymem. p. 17. DANIEL
Itin. Cartesii per mundum, p. m. 101. MÖSHEIM.
ad Cudw. p. 970. alii.

s) Dict. T. II. art. Catus p. 102. not. E.

t) Discurs. Hist. philos. p. 176.
u) De Exult. mundi Stoica p. 6.
x) Conringiana p. 49.
y) p. 60. z) p. 277.
a) De Deo disp. I. Sect. 12. p. 39.

sua sponte viueret, p̄tisana tepida pulmoni refrigerium quaerens ^b. Nihil autem magis Gassendum ornasse censendum est, quam modestiam in tanto eruditionis famaeque fastigio prorsus singularem. Cuius specimina digna sunt, quae apud Sorbierium legenda Lectori semel iterumque commendemus. Solebat enim pauca de se suisque studiis disserere, iactare nihil, et affectum magis amoremque eruditionis prae se ferre, quam doctrinae speciem, humani autem animi angustiam limitesque in quaestionibus enodandis praefari, et tarditatem ingenii sui excusare, quae autem doctissime diserebat, velut somnia quaedam contemnere, et paucis multa dicere, ita ut, ubi minimum sibi placere videbatur, omnibus maxime placeret. Quae omnia, ut characterem veri philosophi exprimunt, ita apud laudatum virum ipsa legenda et repetenda sunt. Et philosophandi quoque rationem intra modestiae limites coërcuit. Saepe numero enim difficultatem quaestionum confessus, nihil adinuenisse se dixit, quod sibi, nedum sagacioribus satisfacere posset. Vnde saepe audiebatur conquestus de humanae mentis caligine, per quam non licet longum iter in inuestiganda natura rerum instituere ^c. Id quod virum vere philosophum ita ad moderandam animi sententiam adigebat, ut nemini sua obruderet, et contradicentes facile ferret, et silentii praemium haud contemnendum reputaret. Et eandem quoque rationem, eosdem mores in controuersis scriptis agitatis tenuit, cuius exemplum luculentum esse possunt *instantiae aduersus meditationes Cartesii*. Fallitur tamen P. BAYLE, qui ob hanc, quam in Gassendo laudauimus, modestiam Pyrrhoniis eum accenset, quod tota illius systematis indoles refugit, quod sibi Gassendus delegit. Coronauit hunc virtutum singularium chorum studium indefessum et pertinax, de scientiis bene merendi, et veritatis cognitionem, qua felicitas humana promoveri potest, omnibus viribus iuandi. Cui cum par accederet eruditionis vis et praestantia, vtilissimus sane reipublicae eruditae euasit. Et debemus huic contentioni maturos Gassendianae doctrinae fructus *Opera* eius a SORBIERIO sex voluminibus post eius fata iunctim edita ^d, et apud Florentinos nuper recusa. Quae omnibus fere paginis loquuntur, quantus vir in republica literaria Gassendus fuerit. Nobis vero hoc loco potissimum memorandus est, ob resuscitatam philosophiam Epicuream. Quod utrum aliis sectis pari felicitate recentiori aevo vnquam contigerit, merito ambigimus. Iis enim praesidiis instructus ad hoc opus accessit, et praeter veteris literaturae notitiam animum praeiudiciis liberum, iudicium acre, imaginationis vim magnam viuamque, et calamum scribendo exercitissimum attulit, ut non potuerit non labor susceptus euentum fortiri exoptatissimum. Maxime vero ea mente ad hoc opus accessit, qua, dum carebant alii, in hoc negotio a recta via non aberrare non potuerunt. Nempe euitato pestilenti syncretismi et ineptae conciliationis amore, ita in hoc argumento versatus est, ut nec aliarum sectarum plausum precariis hypo-

Scripta Gassendi.

b) Conf. PATIN. Lettr. XV, p. 51.

c) Lettr. T. I. p. m. 5.

d) Lugd. 1658. fol.

hypothefibus emendicaret, nec errores reticeret, quos tolerari in Epicuro non patitur diuina veritas. Quo confilio capto Epicuri φιλοσοφούμενα abiecta et neglecta haftenus restituere constituit, cum multo elegantius ea atque luculentius differere videret, quam Peripatetica et Stoica: systema atomifticum autem recte explicatum ingens lumen repandere in tota philosophia naturali crederet. Quod tamen antequam aggreffus est, vindicandam esse Epicuri famam ab ignominia, qua tot feculis preffa fuit, pulchre vidit, sine quibus vindiciis probe intelligebat, philosophiam Epicuri odio et inuidia detestabilem factam non admissum iri. Ea itaque, qua gaudebat, ampliffima philosophicae historiae cognitione et lectionis copia adiutus, cum ad illustrandum *DIOGENIS LAERTII Librum decimum*, cui praecipuam de Epicuro notitiam debemus, congefiffet, quicquid de Gargettio philosopho apud veteres occurrebat, vitam Epicuri liberiori et veraciori penicillo depingendam constituit. Occasionem operis edendi ipse in *Dedicatione* ad Franciscum Luillerium, Parisinum, rationum magistrum enarrauit. Nempe cum amicitia intimiori is Gaffendo iunctus esset, inque priuatis secessibus, multa de philosophis veteribus ex Gaffendo audiiffet, vidiffet autem commentarios de Epicuro, valde iis affectus est, quae praeter suam expectationem de huius viri continentia disciplinae edifferuerat. Visus enim illi erat merito non suo diffamatus, et delectauit eum, eximi illum posse ab istis, quibus oppressus est, calumniis, posseque eius non modo vitam ab omni labe repurgari, sed philosophiam quoque, expunctis, vt circa Aristoteleam, erroribus quibusdam paucis tum de natura solertissime, tum de moribus sapientissime dogmata tradentem ostendi. Instabat itaque vt saltem ea, quae spectant ad vitam moresque, conscriberet, cetera enim, quae ad doctrinam placitaque attinent, longioris operae cum sint, patientius deinceps expectatum iri. Ipse quoque pro rara illa, quam possidebat, Graecae linguae cognitione et eruditione in multis locis lucem illi faciebat. Quo amico ἐργολάτῃ permotus ad edendum opus se persuaderi passus est. Quanquam autem non contendeat Epicurum aut nihil peccasse, aut vnum inuenisse verum, conuictus tamen de veritate, demonstrare conatus est, iniuria fabulam vulgi fieri, quod sectatores aliarum partium vt olim inuidia et auctoritate ita iam despectu et multitudine illum obruant: cum tamen, si non ex ipsa fronte iudicetur, sed monente Seneca, interius penetretur, causa plenius cognita ea fuisse probari possit vitae innocentia, puritate, austeritate, qua philosophorum alius nemo fuerit, ea ingenii perspicacia iudiciumque maturitate, qua non facile ceteris concedat. Monet quoque, se eum esse, quem humanitatis officia delectent, cum non indigne ferre non possit opprimi a turba, quem virum reputet esse innocentem, et suauē se habere, si quas illi, tenues licet, suppetias ferat. Nam si persuasus foret, fuisse Epicurum luxui deditum ac sese proluisse obscenis voluptatibus, tum sane diris eum deuoturum, ac faces et saxa cum tota factione non postremum

coniecturum. In id autem se incumbere semper, ait, ut innuat, quid verisimilius ex Epicuri mente appareat; si forte vero id non ferendum vel minus probandum videatur, ipse primum exauctoraturum, et censura omnium feuerissima nigrum quasi theta praefixurum esse. Quod ad dogmata vero religionis attinet, non ita inficias, quin placita Epicuri quaedam e diametro cum illis stent, ut quae sunt praesertim circa providentiam animorumque immortalitatem. Sed cum ferendos et expungendos quidem errores, non vero totum reiiciendum Epicurum esse exemplo Aristotelis docuisset, promittit, quoties ad grauiora illa capita peruenerit, vel quoties quidpiam occurrerit, quod videri possit vel quam minimum fidei sacrae dissentaneum, in Epicurum neruos contendere, ac eius sententiam conuellere velle. Nam licet, confecta vitae Epicuri apologia doctrinae quoque explicationem aggressurus subinde sit, non propterea tamen se illi nomen dare, ait, neque placitorum vadem se aut sponsores praestare. Quin etiam ut in aliis rebus rationem solam audiat, neque nisi illam admittat magis ipsum moueat Epicurus, quam quiuus alius philosophorum sic in religione se ecclesiam catholicam sequi &c. Quae, etsi longiuscula, haec enarranda fuerunt, ut Lectori pateat, iniuriam fecisse viros doctos optimo philosopho, imputantes, aut ad ostentandum tantummodo ingenium ea scripsisse, aut Epicurum Christo praetulisse: id quod utrumque falsum esse, ex dictis intelligitur, et lectio ipsa libri probat. Prodiit ille *de Vita et moribus* (de doctrina enim nihil habet) *Epicuri commentarius libris VIII* constans *Lugduni*, non *Batauorum* ^f, sed Galliae, typis admodum luculentis et forma augusta *anno MDXLVII*, recusus in Belgio *MDCLVI* ^g, et diuersa eruditorum iudicia expertus est; quae tamen haec enarrare, cum alibi tetigerimus, non vacat. Nemo tamen fuit, etiam si moleste illam infamis philosophi apologiam tulerit, qui non admiratus sit doctrinae vbertatem in eo argumenti ambigui tractatione diffusam. Non enarrabimus eius compendium, nec iudicium interponemus nostrum, cum, quantum fatis est, in *primo Tomo* ^h iam dixerimus, quo, nisi graue est, Lectorem remittimus. Illud modo affirmamus, ita explicuisse in eo libro Gassendum Epicuri historiam, ut quid veritas possit, quid calumnia, sit apertissimum, nosque, examinatis cum cura omnibus non poenituisset, hunc nos ducem in Epicuri historia fuisse secutum ⁱ. Cum autem ingentem veteris literaturae farraginem ad Epicuri historiam congefisset, eam inuidere harum lautitarum cupidus noluit, sed instigante AEGIDIO MENAGIO, cuncta in ordinem coegit, et ad illustrandum *Librum X. DIOGENIS LAERTII* conuersus, quicquid lectio veterum scriptorum, quicquid Graecae linguae notitia, quicquid ars critica, quicquid philosophia suppeditabat, in com-

e) Ita tamen titulus libri adducitur Act. phil. Vol. II. p. 644.

f) Id quod apud STOLL. Hist. lit. P. II. c. I. §. 47. p. 364. emendandum.

g) Hagae Comit.

h) p. 1228 seqq.

i) Conf. STRUVII Bibl. philof. c. 2. §. 7. p. 37. f. CHE. THOMASIVS Cautel, c. XIII. §. 10. Acta philof. I. c. p. 325.

commentarium contulit, et totam Epicuream historiam insigni luce collustravit ^k. Qui quo loco haberi debeat, ex MENAGII iudicio discendum est, ita de eo differentis ^l: „Decimum hunc Laërtii librum hoc est vitam Epicuri, mei causa Latine vertit, et notis accuratis et commentariis luculentis illustravit Petrus Gassendus, vir omnium sectarum, Epicureae imprimis, peritissimus. Eo breuior ero in huius libri expositione. Quid enim de Epicuri decretis quisquam proferre possit, quod Gassendus non viderit? post quem tacere modestissimum foret, nisi quaedam in textus Laërtiani enarratione vir mihi amicissimus non tam omisisset, quam mihi reliquisset“. Cui iudicio subscribent, quotquot artis criticae et philosophicae historiae gnari commentarios Gassendianos in vsu adhibebunt suos. Neque hoc humanitatis et diligentiae officium digno rependere proemio Menagius oblitus est. Eius enim cura satis magna pecuniae summa Gassendo soluta est ^m. Ut autem philosophica doctrina Epicuri suo quoque lumine luceret, cuncta in accuratum systema contulit, idque titulo *Syntagmatis philos. Epicuri* edidit ⁿ. In quo tanta perspicuitate, tanta ordinis concinnitate, tanta tractationis elegantia et dicendi copia Epicuri placita exposuit, confusa digessit, obscura illustravit, quaeque deficiebant, eius principiis conuenienter enarrauit, ut ipsius Epicuri calculum, si videre illi licuisset, meruisset. Quem filium cum nos non sine iusta grauique causa in delineanda philosophia Epicuri secuti fuerimus, Lectorem plura sciendi auidum ad eum locum ablegamus. Quamuis autem Gassendus atomos qualitate destitutas atque vacuum cum Epicuro pro rerum naturalium principiis admitteret, voluptatem autem stantem, siue indolentiam in morali doctrina finem sibi omnis, quae de moribus animique felicitate agit, scientiae posuisset, tantum tamen abest, ut vel sine numine mundi natales depingeret, vel ad foedae voluptatis sensum lectorem seduceret, ut potius virtutis studium illius voluptatis, animo humano natura sua desiderabilis, matrem esse luculenter ostenderet, errores physicos Epicuri vero eleganter et accurate refutaret. Ideo syntagmati laudato insertae sunt animaduersiones luculentae: I. Annon mundus hic vnicus pro vniuerso sit habendus? II. Esse Deum auctorem seu causam productricem mundi. III. Esse rectorem seu causam gubernatricem mundi. IV. Cuiusmodi sint, quas in Deo intelligimus, perfectiones? V. Dari inter causas vnam omnium primam, id est Deum. VI. Esse vsu partium in animalibus intentum a causa efficiente. VII. Regere Deum speciali cura humanum genus, VIII. quid sit, et qua necessitate materiale principium materiae prima exigatur. IX. Quid sentiendum de diuinatione seu praesensione rerum futurarum mere fortuitarum. Non haec sterili commentatione Gassendus persequitur, sed cum rationibus fortissimis pestilentes physiologiae

V v v 3

Epicu-

k) Lugdun. 1649. fol. et Opp. T. V.

l) Comm. ad Laërt. L. X. f. 1.

m) Vid. Menagiana T. I. p. 1.

n) Hagae Com. 1659. Amstelod. 1684. 4.

Londinensem 1668. 12. memorat STOLLIVS loc. cit. P. II. c. 1. §. 47. p. 364. quae cum duodecim tantum plagulis consistet, non nisi epitome esse potest.

Epicureae errores profligaret, ex abundantissimae eruditionis penu et lectionis copia observationes attulit elegantissimas, et historiae luce cuncta perfudit. Ita vero explicato toto philosophiae Epicureae ambitu cum principia Epicurea emendata, purgata, aucta et ornata selegisset, iis fundamentis proprii systematis philosophici fati prolixi aedificium superstruxit, historiam philosophicam, in qua paucos pares habebat, in partes vocavit, et praecipue in naturali doctrina cuncta ad recentissimam philosophorum experientiam et observationes reuocavit, hacque ratione inter nostrae aetatis physicos magnum sibi nomen locumque haud contemnendum comparavit. Subscribimusque lubentes I. O. HENRICO BOECLERO ^o incomparabile opus ^p vocanti. In eo, praecipue, quod ad physicam pertinet, a Cartesio, cuius philosophia eo tempore Parisiis, ipso Momorio fauente et obstetricante, emergebat, multoties dissentit, unde non ineptam operam ad intelligendam philosophiae naturalis seculi XVII historiam suscipient, qui utramque philosophandi rationem inter se comparabunt ^q. Praeter ista non sine philosophantium commodo leguntur quoque descriptae a Gassendo *vitae Tychonis de Brabe, Nicolai Copernici, Georgii Purbachii, Ioannis Regiomontani et Nicolai Fabricii Peirescii*, quae exemplo esse possunt, quae ratione biographiae conscribendae sint, ut usum legentibus verum praestent. Non contentus enim tantorum virorum, quibus nihil nobilius suo tempore habuit ciuitas literata et imprimis artes mathematicae fideralisque scientia, res exposuisse, ipsarum artium et scientiarum historiam in partes aduocavit, et in digressionibus iucundissimis quam plurima attulit, quae suo iure virorum doctissimorum calculum laudesque meruerunt ^r. Ceterum non in Epicureae tantum philosophiae historia magnum nomen Gassendus consecutus est, sed Cartesiana quoque historia eum sibi vindicat, cum in controuersis, quae cum Cartesio agitatae sunt, haud postrema Gassendus pars fuerit. Rem omnem fuisse quidem exponit, qui enarranda Cartesii historia ingens volumen repleuit HADRIANVS BAILLETVS ^s ita, vero in eo argumento versatus est, ut nonnihil partium studio dederit, Gassendum sic describendo, ut constaret, inuidia et indignatione commotum eum aduersus Cartesium calamum arripuisse, eo quod mentionem sui nullam in scriptis suis Cartesius fecisset. Qui tamen cum humanitatem Gassendi laudat, fati prodit, extorsisse philosophum moribus longe aliis ornatum sibi inuito veritatem. Ut itaque sine praeiudicio et partis studio haec, quae inter maximi nominis philosophos intercessit controuersia intelligatur, consulenda quoque GERARDI DE VRIES *Dissertatiuncula historico-philosophica de Renati Cartesii meditationibus a Gassendo impugnatis* ^t. Ita enim audita altera parte, nisi fallimur, haud

o) Bibliograph. Crit. p. 615.

p) Opp. T. I. et II. conf. STOLLIVS l. c. c. 4.

q) Conf. THOMASIVS Cauret. c. 13. §. 10. p. 201.

r) Vid. BOECLER. l. c. p. 449. IO. FABR. Hist.

Bibl. suae T. V. p. 263. et quos laudat, MORHOF.

Polyhist. T. I. L. I. c. 19. §. 17. 18. p. 220.

s) L. V. c. 5. t) Trai. ad Rhen. 1691. 8.

haud obscure patebit, Cartesium contradictionis a Gassendo factae impatientiorem fuisse, quam prae se ferebat. Non enarrabimus prolixè rei historiam, quam pagina nostra non capit, sed paucis rei summam comprehendemus. Vtebantur eo tempore amico communi Gassendus et Cartesius Marino Merfeno ordinis Minimorum S. Francisci de Paula presbyteri, qui et rerum mathematicarum erat peritissimus, et de philosophia sobrie iudicabat, nec recentiorum obseruationes contemnebat, modo causam Dei et ecclesiae non perderent. Qui cum, teste Sorbierio, dum vixit Lutetiae Parisiorum tersius philosophantium commune centrum esset, et imprimis magna amicitiae familiaritate Gassendo esset coniunctissimus, meditationum philosophicarum exemplum msc. quod Merfeno Cartesius submiserat, vt virorum doctorum iudicia de iis exploraret, cum amico hoc suo communicauit, eumque, vt sententiam ferret, rogauit. Quamuis autem a dictatoria ambitione procul abesset Gassendi animus, nihil tamen vel Merfeno, vel Cartesio, quem et ipsum amicum habebat, denegandum esse ratus, ratiocinia Cartesiana examinauit, et obiectiones suas cum Merfeno communicauit. Quae quales sint omnium quidem optime electione earum intelligitur, et quanta vis animi et perspicacia in Gassendo fuerit, deprehenditur, non omittendum tamen hoc loco, quod Sorbierius tradit, Thomam Hobbesium, cui cum Gassendo amicitiae quoque vinculum intercesserat, *opusculum hoc tereti filo et eximia sagacitate intra paucos dies ad umbilicum perductum, non satis mirari potuisse, et Gassendum nusquam maiorem apparere pronuntiasse, quam in retundendis laruis, tenues in auras tam facile diffugientibus, gladio imperuiis nec ictum clauae excipientibus.* Has obiectiones siue disquisitiones metaphysicas, quae inter *Obiectiones ad meditationes Cartesii* quintum ordine locum occupare debent, ad Cartesium Merfennus misit. Qui vt impatientis erat contradictionis, cum responsione sua Gassendianam disquisitionem typis vulgauit. Indigne id tulit Gassendus, qui non ea fini scripsit, vt contentionis ferram cum amico reciperet: vt tamen ostenderet, quibus momentis nondum satisfacisset Cartesius, *Instantias* delineauit ad *Responsiones Cartesii*. Is aegre id se ferre non dissimulauit communi amico Sorbierio, quo rogante tandem ad ipsum Cartesium instantias suas Gassendus submisit, quo pacto hae quoque typis comparuerunt. Quibus vt responderet, et tela Gassendiana retunderet, vehementer quidem Cartesium amici impulerunt, officium tamen illo refugiente, cum et haud facile retundi possent, et interea temporis Cartesio ad Parisinos delato intercedenteque Caesare Estraeo, postea episcopo Laudunensi inter vtrumque pax esset inita et renouatum in praesentia Launoii, Roberualii, Merfenni aliorumque magni nominis virorum amicitiae vinculum. Satis acerbe in hac controuersia in Gassendum inuectus erat Cartesius, adeo, vt carneum diceret, et verbis aliis duris haud parceret: summa animi lenitate et moderatione responderat Gassendus, et praeteritorum obliuionem pacti

pacti erant amici. Attamen Cartesius, cui res acta manebat alta mente
 reposita, indignationem postea omnem dimittere non potuit. Cum enim
 noua editione meditationes suas recudi faceret, omisit obiectiones et in-
 stantias Gassendi, eumque in locum suffecit epistolam ^u, in qua ad eius-
 monita nonnihil respondit, ita tamen, vt viri docti * non inepte iudica-
 uerint, nihil solidi regerere potuisse Cartesium, nec noui aliquid protu-
 lisse. Ex his vero, quae carptim ex multis, quae de summo viro dici
 poterant, selegimus, constat, summo eum loco habuisse viros non modo
 in republica literaria primarios, sed et in aula atque ciuitate principes, et
 amicitia eius gauisum esse, quicquid inter nationes literis cultas magno
 viro innotuerat. Quos amicos fautoresque Gassendi longa serie
 enarrat Sorbierius, ipse, si quis eos nosse cupit, videndus. Non tacendum
 tamen, astronomorum totius fere Europae amicitia commercioque litera-
 rio frui Gassendo licuisse, vt ex epistolis constat inter opera eius a Sorbie-
 rio editis. Sed et praeter matheseos studium philosophiae amor illi viros sum-
 mos iunxerat: inter quos praecipue memorari merentur Thomas Hob-
 besius, Ismaël Bulialdus, Franciscus Mottaues Vayerius, Michael Neu-
 raeus, Gassendi contra Io. Baptistam Morinum *ὑπερασπιστής*, Kenelmus
 Digbaeus, Marinus Curaeus Cambraeus, quem Sorbierius ait primum
 Aristoteleam philosophiam et Platonica ratiocinia cultiori habitu in aulam
 deduxisse. Tum Ioannes Riolanus, Ioannes Pecquetus, cui demonstra-
 tionem circulationis sanguinis et exsuctionis chyli per venas lacteas Afel-
 lianas debuit Gassendus, prius de ea re incertus et prorsus dubius. Hugo
 Grotius quoque, Honoratus Fabri, Iacobus Gaffarellus, Petrus Fermat-
 tius, et magna cohors aliorum, quorum doctrinae praestantia in reliquis
 scientiarum partibus excelluit, hoc loco non enumerandorum. Neque
 tamen vt nihil est ab omni parte beatum, et virtus non est sine allatrante
 inuidia, aduersariis quoque Gassendus caruit. Inter quos reliquos acerbite-
 tate facile vicit Ioannes Baptista Morinus, professor regius mathematicum,
 de cuius vitae circumstantiis P. BAYLE ^y legendus est. Is cum magnam
τῆς μαθημῆς peritiam iactaret, et ex siderum positu de futuris multa praed-
 dicere confidenter auderet, pro astrologiae dignitate autem manibus calc-
 cibusque pugnaret, ferre non potuit Gassendum vanissimae artis incerti-
 tudinem rationibus euertentem euidentissimis, et occasionem quaesuit,
 indignationem iramque in Gassendum demonstrandi. Quam nactus esse
 sibi videbatur, cum Gassendus duabus epistolis ad Petrum Puteanum, *de*
Motu impresso a motore translato obiectionibus, quibus Copernici syste-
 ma motusque terrae assertus impeti solet, respondisset. Publice enim
 tum Gassendum, editis *Alis telluris confractis* adortus est. Non tacuit qui-
 dem in tanta causae bonitate Gassendus, sed nonnulla reposuit ^z, edere
 tamen

u) T. I. Opp. p. m. 122.
 x) Conf. STOLLIVS l. c. c. 2. §. 23. p. 411. BVD-
 DEVS IIagog. L. I. p. 245.

y) Dist. T. III. Art. Io. Bapt. Morin. pag.
 424 seqq.
 z) Inserta est haec responsio T. III. Opp.

tamen istam responſionem noluit, cum litem amici diremiſſent. Cum autem inſcio et inuito Gaſſendo eam anno MDCXLIX edidiſſet Neuraeus, culpam licet a ſe non admiſſam deprecante Gaſſendo, in furias actus Morinus ad epiſtolam eam acerbiffimam reſponſionem edidit, et peculiari diſſertatione quoque *de Atomis et vacuo* MDCL ſyſtema Gaſſendi euertere conatus eſt. Noluit tamen litigare cum impotentis animi viro Gaſſendus, cuius virtus a contentioſis moribus valde abhorrebat. Succeſſerunt in locum amici Gaſſendi Bernierius et Neuraeus, quorum ille vulgata *Anatomia ridiculi muris*, et *Fauilla ridiculi muris*, ſale nigro Morinum adſperſit, tanta illius ira et indignatione, vt cum alia non haberet, conuicia reponeret, edita *Vincentii Banurgi* nomine epiſtola *de Tribus impoſitoribus*, nempe, Gaſſendo, Bernierio, Neuraeo *. Quam controuerſiam, indignis modis agitatum moleſte tulit Gaſſendus, quem doluiſſe, quidquam reſpoſitum fuiſſe ab amicis teſtatur Sorbierius. Neque tamen ita imminuta eſt Gaſſendi fama et auctoritas, quae viros acutos permouit, vt ſyſtema principiis Democriti et Epicuri inaedificatum a Gaſſendo reciperent, et ſecundum illud vel totum vel ex parte maxime de natura rerum philoſopharentur. Et hinc Gaſſendiſtarum nomen in orbe philoſophico auditum, licet nihil minus vir ſummus cupiuerit, quam ſectam aliquam condere ^a. Quanquam, quod hic obiter monemus, eo quoque nomine, haud raro illi appellantur, qui ſyſtema atomiſticum admiſſo vacuo ſecuti de rebus naturalibus philoſophati ſunt, et Cartesia-nae imprimis philoſophiae ſe ex parte oppoſuerunt ^b, quamuis non eam quam Gaſſendus tenuit, viam inſtituerent. Quo pacto Radulphum Cudworthum, magnum Verulamium, imitatum Franciſcum Bayle, Franc. Lami ^c, Robertum Boylium, Kenelmum Digbaeum aliosque philoſophari coepiſſe, in hiſtoria philoſophiae naturalis ſpeciali exponi ſolet, et peculiari tractatione enarrauit HENRICVS MAIVS ^d. Hos hoc loco non curamus, ſed eos tantum adducemus, qui preſſo pede Gaſſendum ſecuti ſunt.

§. VIII. Inter eos primum merito locum occupant FRANCISCVS BERNIERIVS et MICHAEL NEVRAEVVS, quem vtrumque, cum in viuus eſſet, Gaſſendum praeceptorem habuiſſe, eique conſtanter adhaeſiſſe in antecedentibus diximus. Et ille quidem, quem itinera in Asiae partes nonnullas, et comparata in iis exquiſita rerum naturalium et medicarum experientia celeberrimum fecere, cum artem ſalutarem Montis-

Sectatores
Gaſſendi.

* Vid. SORBIER. et BAYL. II. cc.

a) Conſerri merentur quae de Gaſſendi aſſe-
clis et imitatoribus attulit cel. MOSHEMIVS
Hiſt. Chriſt. recent. ſec. XVII. c. 4. §. 20. p. 402 ſq.

b) Nonnullos confundere Cartesia-
noſ, obſeruat DANIELI Itin. Cart.
per mundum P. III. p. 184.

c) Vid. STOLL. I. c. p. 593. BVD. Annot. hiſt.
phil. p. 379. Iſag. p. 668. STRVVIVS Bibl. phil.
c. 5. §. 5. p. 150 ſeqq.

d) In phyſicae veteris nouiter adornatae ad
principia Democriti a Gaſſendo, Verulamio, Boy-
lio, Derodone, Digbaeo aliisque redintegratae
Syn. Franc. 1689. conf. Bibl. Vniuerſ. T. XIII. p. 226.

tispeffulani docuiffet, adeo humanitate, doctrina et philofophia Gaffendi captus eft, vt ab eo non difcederet, fed Tolonam, Diniam et Lutetiam, Parifiorum eum fequeretur, et moribundo quoque oculos clauderet ^e. Offendit tamen Bernierius atomifticae doctrinae adoptione Iefuitam Valesium, eo quod ifta hypothefi transubftantiationis dogma euertere crederet. Quam fufpicionem vt a fe, et a philofophia Gaffendiana depelleret, Apologiam de ea re fcripfit, quam P. BAYLE ^f *Collectione fcriptorum ad Cartesianam philofophiam fpectantium* inferuit, quo cum conferendus Biographiae Baelianae fcriptor Cl. DES MAIZEAUX ^g. Debemus Bernierio *Compendium philofophiae Gaffendianae*, lingua Gallica, bis ^b, nifi fallimur, editum, in quo virum fe magno iudicio animique perfpicuitate praeditum demonftrauiſſe, iudicauit PETRVS SILVANVS REGIVS ⁱ, qui addit, in ea epitoma multa perrara contineri inuenta a tempore Gaffendi, tam ad phyſicam, quam ad aſtronomiam pertinentia excogitata, quaedam autem huic etiam operi inferuiſſe dubia ſibi facta de *Quaeſtionibus huius philofophiae difficillimis* ^h, quibus moderationem ingeniumque ſuum acerrimum demonſtrauerit. Non tacendum quoque, quod illuſtri LEIBNIZIO ^l obſeruatum eſt, negaſſe Bernierium concurſum Dei ſpeciale, id quod a Gaffendi quidem placitis recedit, in homine vero atomiſticum ſyſtema preſſo pede ſequentem non eſt magnopere mirandum. Michaëlem Neuraeum, philofophiae et aſtronomiae notitia ſingularis Gaffendo commendauit, quem acerrimum eius deſenſorem fuiſſe, quotieſcunque dentata opus fuerit charta amico propugnando, tradit Sorbierius, quemque vnum ait poſſe vitam praecceptoris immortalibus ſuis coloribus repraeſentare. Narrae de eo HVETIVS ^m, cui Cadomi innotuit, principum Longauillanorum adhuc puerorum regendis ſtudiis praefectum nomina Michaëlis et Neuraei non natiua habuiſſe, ſed adſcita et commentitia. Cognoscere enim licere ex miſcellaneis Cheuraei, qui popularis eius et condifcipulus fuerit, natum hunc eſſe Iulioduni in Pictinibus, Laurentium Meſſimam vero nomine dictum, Carthuſiano ordini ſolemniſſimis votis adſtrictum totos triginta annos apud Burdigalenses egiſſe: et vitae tandem huius ac germani nominis pertaeſum aliam induiſſe perſonam, ac Lutetiae demum Michaëlem Neuraeum factum, nouoque cultu ornatum prodiſſe. Praeter hos Gallos Gaffendianam philofophiam in Anglia recepit, amplificauit illuſtrauitque GVALTERVS CHARLETONVS. Illi enim debemus *Phyſiologiam Epicuro-Gaffendo-Charletonianam, ſue fabricam ſcientiae naturalis ex hypothefi atomorum reparatae,*

e) SORBIER. l. c.

f) Recueil de quelques piéces curieufes concernant la philoſophie de Mr. de Cartes 1684.

g) pag. 29. edit. fol.

h) 1678. 8. conf. STOLLIVS l. c. P. II. c. i. §. 84. p. 397. BUDDERVS Hiſt. phil. p. 376. MORR. Polyhiſt. T. II. p. 273. STRVV. l. 9.

i) Diſcurſ. hiſt. phil. p. 177. x x x

k) Doutes ſur quelques uns des principaux chapitres de ſon abrégé de la philoſophie de Gaffendi Paris 1682. 12. conf. MOLLER. Hypomnem. p. 520.

l) Theodicee §. 27. p. 90. Fecit id in libro, de Libero et voluntario, Gallica lingua Amſtelod. 1684. 8. edito.

m) Comm. de rebus ad eum pertinent. L. III. p. m. 70.

tae, Londini MDLIV lingua Anglica editam ⁿ, cuius tamen pars specialis non prodiit, sed generalis solummodo Epicuream physiologiam, qualis a Gassendo restaurata est, ordine systematico delineat. Similes conatus suscepit G. B. DE SANCTO ROMANO medicinae D. Parisiensis, in *Physica a scholasticis tricis liberata* ^o. Is enim ad atomos quoque in enarrandis rerum naturalium arcanis recurrit, et ad atomos emancipatas pleraque reuocat, quas venena esse et solutas a corporibus, noxio in hominem effectu agere contendit, cum sint corpuscula valde acuta, acuminata, et terebellorum ferrarumque exiguarum instar figurata, quae partes vitales transfigant, scindant, diuidant, et hac actione spirituum vitam largientium motum interrompant. Hinc et antidota atomos istas emancipatas motu suo impedire, efficereque, vt oppignoratae et quietae remaneant, non secus ac ante emancipationem suam erant, statuit. Et ex hac hypothesi atomistica omnium fere morborum causas soluere tentat, quas in eiusmodi solutione atomorum, quae in corporum corruptione aut totali aut partiali fit, consistere, putat: et remedium quoque vniuersale commendat, nempe euacuationem quotidie factam motu et vellicatione corpusculorum acutorum. Quae tamen omnia heic latius enarrare, et quo pacto atomisticum dogma ad res omnes tum extra hominem tum in homine explicandas adhibeat, exponere, huius loci haud est. Haurient, qui plura cupiunt, et libellum ipsum non habent, ex Ephimeridibus Lipsiensibus *Acta Eruditorum* ^p describentibus, quantum satis ad cognoscendum, qua ratione Gassendi asseclis visum sit, systema Democritico-Gassendianum ad argumentum transferre medicum. Addimus his WOLFERDVM SENGVERDVM, is enim *Philosophiam naturalem, Lugduni Bataurorum* ^q editam simili pacto atomistico systemati inaedificauit. Quod adhibuit quoque DE STAIR ^r ita tamen, vt inter Gassendum et Cartesium medium teneret. Sunt quoque nonnulli, qui inter asseclas Gassendi Hobbesium referunt ^s, quem principiis corporeis omnia tribuisse infra suo loco docebimus. Et negari quidem nequit, amicitia Hobbessii gauisum fuisse Gassendum, huic autem librum illius *de Corpore*, teste SORBIERIO ^t, mire placuisse. Ast ipsum tamen vtriusque doctrinae aedificium ita diuersum est, vt confundi inter se non debeant. Sed et alios huc referri videas, Rondellum, de Cotoures aliosque, qui pro Epicuro scripserunt. Qui tamen cum philosophiam resque Epicuri historico tantum filo deduxerint, huc non pertinent. Sunt qui inter restauratores physiologiae Epicureae Iordanum Brunum Nolanum referant ^u, at eum locum magis inter eclecticicos mereri, ex illis constabit, quae infra de eo satis copiose dicemus.

X x x 2

§. IX. Qua

n) Conf. MORHOF. I. c. T. II. p. 183. PASCH. Introd. in phil. mor. vet. p. 688. BYDDEVS I. c. p. 376. STOLLE I. c. p. 553.
o) Lugd. Batau. 1684, 12.
p) 1684. p. 364.

q) 1681. 4.
r) STRVVIVS et STOLLIVS II. cc.
s) GENTZKE Hist. phil. P. III. m. I. c. 2. p. 154.
t) loc. cit.
u) BYDDEVS I. c. p. 367.

Observatio-
nes de restau-
ratione phi-
losophiae De-
mocrito-Epi-
cureae.

§. IX. Qua ratione Gassendus eiusque sequaces, supposito systemate atomistico philosophati sunt, id hoc loco delineari non potest, eo quod ad specialem philosophiae naturalis historiam pertinet. Pleraque tamen ex illis intelligi possunt, quae de physica Epicurea Gassendum ducem secuti suo loco diximus. Restat solummodo, ut pauca quaedam de resuscitata philosophia Democrito-Epicurea, et praecipue de naturali eius parte dicamus, quae allatis lucem quandam conciliabunt.

Et I. quidem philosophiam corpuscularem, id est, illam de rerum naturalium principiis causisque ratiocinationem, quae corpuscula minima et individua supponit, non cum Democrito natam, sed antiquiorem esse, ex historia philosophiae *Tomo primo* fuse enarrata est manifestissimum. Quamvis enim non satis tuta certaue fide eos niti demonstrauerimus^x, qui vel Moschum Phoenicium eius auctorem dicunt, vel in Sanchuniathonis physiologia eam vident^y, qua ratione nimis perspicax fuit RADVLPHVS CVDWORTHVS^z, antiquitatis philosophiae corpuscularis defensor acerrimus et eruditissimus; non ignorant tamen, qui systemata veterum philosophorum, maxime Graecorum nobiscum explorarunt, nec Pythagoram, et qui ex eius schola prodire, maxime Empedoclem, nec Heraclitum, nec Anaxagoram, similem de rebus naturalibus philosophandi modum refugisse. Et hoc quidem sensu non solam Democriti et Epicuri philosophiam, sed canam vetustatis traditionem resuscitasse viros doctos, quos in hoc capite in scenam produximus, dicendum esset. Verum recordari simul Lectorem ea iubemus, quae *Tomo primo*^a accurate, nisi fallimur, disputauimus, veterum, qui particulas minimas, simplices, individuas pro principiis posuerunt opinionem verum systema atomisticum non recepisse, sed a Democriti et Epicuri statutis longe differre: eo quod particulas istas, siue minima naturalia variis modis qualitatibus induerint, et solis litis et amicitiae modificationibus sine vacuo admisso cuncta fieri tradiderint. Quod licet parum momenti habere videatur, omnino tamen hoc loco animo reputandum est, nec diuersae inter se opiniones confundantur et focus aptetur cothurno, quadrata misceantur rotundis. Id quod in ipsa quoque recentiorum, qui atomos sibi selegerunt, philosophorum historia tenendum est, qui non omnes in Gassendi via, quae Democrito-Epicurea fuit, haeserunt, sed prout sibi videbantur ad scopum peruenire potuisse, quem praeoptabant, atomorum hypothese vsi sunt. Id quod ex Cartesii physiologia illustrari luculenter potest, qui licet minima illa corpuscula ad explicanda rerum naturalium *Φαινόμενα* adhibuisset, vacuum tamen proscripsit, quo exulante totum corrui Democriteae et Epicureae physicae aedificium, tria autem istorum corpusculorum siue elementorum ex quibus omnia fiunt, genera comminiscens, aliam longe, quam Gassendus, physiologiae rationem iniit. Nec hic solus fuit, qui ea hypothese ad constituendum systema singulare adhiberet, sed nostra aetate plurimi fuere, qui ut quis fuit ingenio promptior et alacrior, ita meliorem rerum

x) T. I. p. 231. y) Ibid. p. 241. z) Syst. Intell. c. I. §. 9. p. 14. a) p. 232.

rerum naturalium originem se hoc filo adhibito descripsisse credidit. Cuius rei exempla in historia philosophiae naturalis speciali quaerenda sunt. Specimen vero hoc loco qui postulat, cum REGNALTII *Dialogos inter Aristaenum et Eudoxum* ^b adire iubemus, vbi mediam inter Gassendum et Cartesium hypothefin reperiet, dogmati atomistico inaedificatam.

II. Porro de ipso philosophandi modo Gassendiano recte statuendum est. Quem non primum inter recentiores adhibuisse Gassendum, nec solum, ex iis, quae hoc capite iam tetigimus, constare attento lectori potest, et recentioris philosophiae historia testatur. Praeter Gassendum enim non Magnenus modo hypothefi de atomis vsus est, sed et magnus VERVLAMIUS ^c vt erat animo maximo et acuto, eam vehementer commendauit, et praeclare Democritum atomos siue semina, atque eorum virtutem nullius rei similia quae sub sensum cadere possent, asseruisse iudicauit. Egregie quoque obseruat, vim et formam atomorum non graue quiddam esse aut leue, aut calidum aut frigidum, aut densum aut rarum, aut durum aut molle, qualia in corporibus grandioribus inueniuntur, cum istae virtutes et reliquae id genus compositae sint et conflatae. Similia de motu atomorum motui corporum grandiorum dissimili notat, recte addens, nihilominus et in corpore atomi elementa omnium corporum et in motu et virtute atomi initia omnium motuum et virtutum inesse. Sed et supra initio capitis huius diximus, Andream Sennertum atomorum hypothefin iam in medium adduxisse, qui ad Franciscum Aquilonium prouocat, necessitatem huius hypothefis ad explicanda rerum naturalium mysteria ante se agnoscentem. Tacemus quae supra de Sebastiano Bassono attulimus, Democriteam de atomis doctrinam valde commendante. Sic vt vno eodemque fere tempore Sennertus, Verulamius et Bassio de atomistico systemate restituendo philosophos monerent. At debetur tamen Gassendo gloria, quod vnus fuerit, qui illi hypothefi iustum doctrinae naturalis aedificium superstruxit, et physicam corpuscularem animauit iustoque instruxit habitu. Qui tamen licet Democritum vel Epicurum potius sibi sequendum elegisset, non tamen sectario ad id animo accessit, sed vt a feruili istius philosophiae iugo abhorrebat, quod fatentem supra audiimus, ita Epicureis hypothefibus non aliter vsus est, quam vt ea feligeret, quae veritati conuenire reputabat, repudiatis illis, quae falsa esse et erronea in systemate Epicureo iudicabat. Inde factum, vt cum praeter atomos et inane nihil pro principio rerum naturalium Epicurus admitteret, Gassendus deserto Gargettio sene Deum toti materiae moli praefecerit, et contempto fortiterque expulso prauiudicio Epicureo: refragari beatae naturae diuinae rerum naturalium operationi praeesse, ab eo motus atomorum initium deriuauerit, nec prouidentiam diuinam ex mundo proscripserit. Nec contentus errores pestilentes eiecisse innumera ex suo penore addidit, recentiorum physicorum obseruationibus cuncta illustrauit, hocque pacto no-

X x x 3

uum

b) REGNAVT Entretien d'Ariste et Eudoxe, vid. A&E. Erud. nou. T. I. sect. III. art. 5. p. 109.

c) De Principiis atque originibus secundum fabulas Cupidinis et Caeli T. III. Opp. p. 213 seq.

uum philosophiae systema condidit. Vnde non magnopere errant, qui Gassendum inter eclecticicos philosophos referunt: licet primarium totius disciplinae naturalis fundamentum quo sua inaedificauit omnia, ab Epicuro transfumisset ^d.

III. Ex his vero sua sponte fluit, Epicuream philosophiam puram et nulla ratione mutatam neque apud Gassendum, neque apud alios, qui eius vestigia presserunt, quaerendam esse. Tantum enim abest, vt id sibi proposuerit Gassendus, licet in eo totus esset, vt natiuam Epicuri philosophiae faciem a tot saeculis deturpatam et corruptam redderet, vt potius in dedicatione librorum *de vita Epicuri* contrarium diserte testatus sit. Ostendimus etiam supra, in quibus dogmatibus *κρείστας δόξας* Epicuri deseruerit, easque accurate refutauerit. Qua ratione quidem verus, purusque Epicureismus a Gassendo restitutus haud est, qui suo talo constare non potest, nisi eiecto ex rerum naturalium circulis et in intermundia relegato Deo, tota materiae formatio et coalitio fortuito atomorum concursui in vacuo siue inani facto permittatur; ita vero exitialis ille atque pestilens vultus, quo Epicurea philosophia terruit, quotquot religionem Deumque amarunt, procul esse iussus sublatumque venenum est, quod tantopere pertimuerunt plerique, qui Epicuream philosophiam reprehenderunt. Sobrie itaque et modeste de hac Epicureae philosophiae restauratione iudicandum est, nec impietatis contemptaeque religionis nota viro maximo et pietatem sponte sectanti inurenda est, qua ratione praecipitanter satis de Gassendo iudicauisse Conringium, Thomasium, Parckerum supra iam memorauimus.

IV. Magnam et patentem naturae arcana rimaturis ianuam hac hypothese comta, ornata, et recte explicata Gassendum et sequaces aperuisse, non diffitebuntur, qui inuidia non ducuntur, et ipsam hypothesein, quaeque ex ea consequuntur, rite intelligunt. Fatemurque lubentes, ad eclecticam philosophiam vix aliquem stratam magis viam parauisse, quam Gassendum. Verum vt omnis philosophia hypothetica suis premitur difficultatibus, et ea quoque est humanae mentis angustia, vt in omnia naturae adyta penetrare non possit, ita negari quoque non potest, esse in hac ipsa philos. atomistica, qualem Gassendus resuscitauit formauitque, quae summorum virorum obiectiones haud leues experta sunt, quaeque facilius oppugnari quam defendi possunt. Quod prolixa hoc loco dissertatione explicare institutum quidem nostrum haud patitur, vna tamen, quae de vacuo post Gassendum, qui illud ex exilio quasi reuocauit exorta est disputatio satis demonstrat, non defuisse viris ingenio et eruditione magnis, quae non sine acumine et verisimilitudine sat magna Gassendianis *Φιλοσοφούμενοις* obiicerent. Inter quos imprimis Renatus Cartesius, Gassendo aemulus, naturalem philosophiam suam ita instruxit, vt pateret, vacuum omnino eiiciendum esse. Quod systemati atomistico aduersari nemo non videt, cum sine inani Epicureo atomis locus non fit, in quo moueantur. Vnde Galilaeum, Toricellum aliosque, qui vacuum ad explicanda rerum natu-

d) Comparari hunc in finem LARRTII liber X. cum systemate Gassendiano debet.

naturalium phaenomena adhibuerunt, secutus Gassendus vacuum more Epicureo corpusculis illis indiuiduis opposuit, et spatium siue vacuum pro re habuit, quae nec corpus esset, nec substantia, nec accidens substantiae, sed res media. Id quod non potuit non offendere Cartesium, qui cum rerum omnium naturam in cogitationem et extensionem diuisisset, et in illa spiritus essentiam in hac corporis posuisset, spatii vel vacui ideam contradictoriam esse obiecit, eo quod, quamcunque spatii notionem sequere dimensiones corporum tamen, adeoque extensionem ab ea separare non liceat, quo pacto spatium vacuumue corpori opponi non potest. Quae res longae et his nostris temporibus nondum finitae controuersiae ferrae reciprocandae occasionem Gassendistis et Cartesianis suppeditauit. Cum enim Cartesii sequaces naturam corporis, et extensionis indolem vehementer vrgerent, Gassendi assaeclae, motus naturam illis opposuerunt, quem verum non dari contenderunt, nisi corpora in spatio vacuo mouerentur, eo quod vnum corpus aliud penetrare non potest. Qua ratione ex vtraque parte ita dimicatum est, vt iudicari dum videatur, victoriam semper fuisse agredientium, et facilius esse inuictas argumentorum phalanges obicere, quam aduersarum rationum vim frangere. Ita tamen spatii vacuique causam egerunt Gassendi assaeclae, vt viri summi et magna rerum naturalium cognitione illustres ab eo recipiendo admittendoque non abhorruerint. Quo modo Christianus Hugenius ad demonstrandam causam grauitatis illud iam adhibuit, nostra autem aetate magnus in philosophia naturali et mathesi sublimiori heros Isaacus Neutonus, fortissimam pro spatio infinito aciem instruxit, quam suis adiuerunt copiis maximi viri cultores et assaeclae Fatius, Clarkius, aliique haud pauci, quibus Cartesiana hypothesis spatio inimica neque cum natura motus, neque cum grauitatis causis consistere posse iudicata est. Vbi tamen, vt nihil est humanae rationis perfectum, et Cartesiana factio grauem Neutonianis dogmatibus de spatio vacuoue dicam scripsit, et illustris Leibnizius, quique eius philosophandi rationem sequuntur, vt erat ingenio maximo, insuperabiles difficultates illis opposuit *s*, qui spatium pro ente reali absolutoque habent, cum ad solam corporum relationem eam notionem referret. De quibus tamen omnibus prolixius heic differere, paginae angustia et limites nobis positi obstant. Nobis licet iniquus in hoc argumento iudex videatur P. BAYLE *e*, qui ad incrustandum Pyrrhonismum ambigua hac controuersia callide vsus est, fatemur tamen, vix alio exemplo luculentius constare, quam arcti sint intellectus humani limites, et quam necessarium sit, non de rebus modo naturalibus, sed notionibus quoque metaphysicis modeste disputare, modumque seruando et humanae mentis conditionem recordando prudenter sapere.

* * *

LIBER

e) Conf. CUDWORTH. Syst. intell. p. 970.
BAYLE Lettres T. III. p. 829.

f) Vid. Recueil de Diuerses pieces de Philoso-

phie T. I. p. 20. seq. et quae nuper ea de re disputata sunt inter Voltairium et Kahlum VV. CC.

g) Dict. T. III. art. Leucippe not. G.